


PONTIFICIA COMMISSIO  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

RELATIO  
UNIVERSAS CONTRAHENS  
GENERALES ANIMADVERSIONES  
AD SCHEMA  
LEGIS ECCLESIAE  
FUNDAMENTALIS  
AB EPISCOPIS PROPOSITAS

EXCERPTUM  
EX COMMUNIGATIONES, VOL. IV, N. 2, 1972



BREVIS CONSPECTUS  
DE ITINERE IAM PERACTO IN ELABORATIONE  
ATQUE EMENDATIONE SCHEMATIS LEGIS  
ECCLESIAE FUNDAMENTALIS

- 20 *novembris* 1965. Summus Pontifex Paulus VI quaestionem de convenientia LEF proponit, in oratione quam Membris et Consultoribus Pontificiae Commissionis C.I.C. recognoscendo habuit (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, p. 114).
- 25 *novembris* 1965. Commissio plenaria Em.morum PP. Cardinalium se favere ostendit opportunitati componendi quoddam schema LEF (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, p. 114; vol. III, 1971, pp. 54-55).
- 26-27 *iulii* 1966. Prima quaedam adumbrata propositio LEF examini et disceptationi subiicitur Coetus Centralis Consultorum Commissionis (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, pp. 114-115).
- 3-4 *aprilis* 1967. Altera quaedam adumbrata propositio LEF iudicio submittitur eiusdem Coetus Centralis Consultorum, qui textum approbat quoad substantiam (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, pp. 115).
- 27 *aprilis* 1967. Coetus specialis Consultorum « De Lege Ecclesiae Fundamentali » constituitur ad schema LEF ulterius perficiendum iuxta animadversiones Coetus Centralis Consultorum (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, pp. 29-30, 115).
- 3 *octobris* 1967. In primo generali Coetu Synodi Episcoporum plerique Patres Synodales variis sententiis suum desiderium manifestarunt ut LEF conficeretur. Card. Felici, Praeses Commissionis, eorum adiutorium hunc in finem postulavit (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, pp. 92-93, 98, 115).
- 28-31 *octobris* 1968. Prima sessio Coetus specialis « De Lege Ecclesiae Fundamentali » (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, p. 115).
- 3-7 *martii* 1969. Secunda sessio Coetus specialis « De Lege Ecclesiae Fundamentali » (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, p. 115).
- 16-24 *maii* 1969. Tertia sessio Coetus specialis « De Lege Ecclesiae Fundamentali » (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, p. 115).

- 21 *octobris* 1969. Occasione primi coetus extraordinarii Synodi Episcoporum Card. Felici, Praeses Commissionis, informationem fecit de labore peracto a Coetu speciali « De Lege Ecclesiae Fundamentali » (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, pp. 116-118).
- 24 *octobris* 1969. Schema LEF a Coetu speciali apparatus iudicio Em.morum Membrorum Commissionis submissum est ut ipsi proprias sententias in scriptis proponant. Eadem die, et ad mentem quoque Summi Pontificis, ipsum schema LEF studio submittitur Consultorum S. Congregationis pro doctrina Fidei atque Membrorum Commissionis Theologicae Internationalis (cfr. *Communicationes*, vol. I, 1969, pp. 119-120).
- 19-23 *maii* 1970. Quarta sessio Coetus specialis « De Lege Ecclesiae Fundamentali », ad animadversiones perpendendas quae in textum schematis prolatae sunt post praedictam consultationem (cfr. *Communicationes*, vol. II, 1970, p. 88, 213-215; vol. III, 1971, pp. 57-69).
- 20-25 *iulii* 1970. Quinta sessio Coetus specialis « De Lege Ecclesiae Fundamentali ». Opus perficitur primae recognitionis schematis (cfr. *Communicationes*, vol. II, 1970, pp. 215-216; vol. III, 1971, pp. 57-69).
- 10 *februarii* 1971. De mandato Summi Pontificis, Card. Praeses Commissionis schema Legis Ecclesiae Fundamentalibus ad universos Ecclesiae Episcopos transmisit, eorumque sententias quaerens sive de convenientia condendi LEF, sive de hoc primo schemate quod uti basis laboris apparatus est (cfr. *Communicationes*, vol. II, 1971, pp. 45-46).
- 5 *iulii* 1971. Rev.mus D. Willelmus Onclin, Secretarius adiunctus Commissionis, de schemate LEF conferentiam habuit cum diurnariis in aula Sanctae Sedis nuntiis dandis (cfr. *Communicationes*, vol. III, 1971, pp. 206-212).
- 3 *novembris* 1971. Cardinalis P. Felici, Praeses Commissionis, communicationem ad Patres Synodi Episcoporum habuit de itinere in schemate LEF peracto, de rationibus huius laboris atque de consultatione facta ad universos Ecclesiae Episcopos (cfr. *Communicationes*, vol. III, 1971, pp. 169-179). Eadem die generalis disceptatio de Lege Ecclesiae Fundamentali habita est in Aula Synodi (cfr. *Communicationes*, vol. III, 1971, pp. 179-185).
- 20-24 *novembris* 1972. Sexta sessio Coetus specialis « De Lege Ecclesiae Fundamentali » ad examinandas et perpendendas animadversiones et propositiones ab Episcopis circa schema LEF factas.

## RELATIO

### Universas contrahens generales animadversiones ad Schema Legis Ecclesiae fundamentalis ab Episcopis propositas

In communicatione quam d. 3 nov. 1971 Episcopis in coetu ordinario Synodi Episcoporum congregatis habuit, Cardinalis Praeses huius Pont. Commissionis, referens de responsionibus ab Episcopis ad quaestiones de schemate Legis Ecclesiae fundamentalis ipsis positas datis, haec quae sequuntur declaravit: « Longe maior pars Episcoporum sententiam protulit in favorem elaborationis alicuius Legis fundamentalis, quae quidem etiam aliis verbis indicari valet ». Plerique quidem Episcopi, responsum proferentes ad priorem quaestionem positam, scilicet utrum opportunum aestimetur ut pro universa catholica Ecclesia « Lex fundamentalis » aliqua condatur, communis omnibus Ecclesiis ritualibus, « affirmative » responderunt. Modus a multis Episcopis responsioni affirmativae additus (praeter id quod ad primum petitum fuerat) respicit potius finem et naturam Legis fundamentalis, unde ad ultiores spectat quaestiones (cfr. *Communicationes*, 3, 1971, p. 177 s). Profecto Episcoporum plerique, ad alteram quaestionem positam, videlicet utrum placeat schema « Legis fundamentalis » uti iacet, an contra animadversiones habeantur de textu emendando, modos aliquos proposuerunt, animadversiones nempe exhibentes de textu emendando, sive generales ad schema propositum ex toto, sive, communius quidem, ad singulos schematis canones.

Imprimis itaque *generales animadversiones* quas Episcoporum Conferentiae atque Episcopi singuli ad schema LEF (hoc iam usitato siglo plerumque utemur) scripserunt, examini subiiciendae erant, et revera examini submissae sunt hucusque animadversiones generales, quae scilicet schema in totum respiciunt, et quidem non tantum animadversiones quas proposuerunt Episcopi qui ad quaesitum de opportunitate condendi LEF affirmativum dederunt responsum, sed eae etiam quas scripserunt Episcopi qui ad eandem quaestionem de opportunitate LEF negativum dederunt suffragium, quorum scilicet non pauci et ipsi animadversiones ad emendationem schematis pertinentes protulerunt.

Examen, de quo loquimur, per peculiarem Consultorum Coetum omni qua par erat attentione factum est.

Animadversiones observationesque ab Episcopis ad schema LEF generales prolatae, quae quidem solae hac in relatione considerantur, respiciunt praesertim ipsam naturam et finem Legis Ecclesiae fundamentalis necnon eius materiam in genere, eiusdem Legis titulum seu inscriptionem, valorem quoque huius Legis fundamentalis atque s.d. hierarchiam normarum, relationem huius Legis fundamentalis ad doctrinam Concilii Vaticani II, materiam etiam eiusdem legis magis in specie, stilum litterarium quoque in eadem adhibendum, eiusdem divisionem atque structuram internam, atque tandem methodum in ulteriore elaboratione adhibendam. Quare, iisdem sub rubricis in hac Relatione exponentur generales animadversiones ad schema LEF propositum prolatae.

#### I. DE FINE ET NATURA LEF DEQUE EIUS MATERIA IN GENERE

Dum aliquorum observationes respiciunt explicite ipsum finem qui in componenda promulgandaque LEF intendi debet, multorum animadversiones sese referunt ad modum concipiendi Legem quae uti fundamentalis Lex in Ecclesia condi debet, necnon ad materiam in genere quam talis Lex continere debet. Quae observationes omnes, ad mentem Episcoporum, ad ipsam naturam seu conceptionem LEF pertinent et ideo insimul sunt considerandae.

Diversae quidem, immo et inter se contrariae, proponuntur de natura et fine LEF deque eius materia in genere sententiae diversaque exhibentur vota.

1. Quasi ut *manuale scientiae de Ecclesia* concipienda est LEF, ad mentem alicuius Episcopi. De eius sententia, ex schematibus propositis apparet eam concipi non proprie ut legem, sed uti quendam catechismum scientiae de Ecclesia, summis normis contextum. De eiusdem igitur iudicio, sit LEF uti manuale quoddam, quo innitatur oportet institutio quae alumnis in Seminariis tradenda est.

Inde, ut scribit, LEF debet « continere omnia essentialia principia, theologica et iuridica, quae in hodierna vita Ecclesiae manifestantur, exponendo ea in forma perspicua et praecisa ». Inter alia requiritur ut in eadem exponantur etiam notiones virtutum quae ab intus vitam Ecclesiae socialem inspirant, et quae sunt caritas, oboedientia, spiritus cooperationis etc.

In eadem sententia esse videntur alii quidam Episcopi, qui aestimant Legem fundamentalem, uti fundamentum theologicum et iuridicum aliarum legum, non esse opportunam, sed declarant substantiam schematis LEF esse rectam, hanc vero LEF non requiri ut veram legem, sed tantummodo esse accipiendam uti *praefationem quandam non normativam* ad novum Codicem, praefationem scilicet in qua natura atque munus Ecclesiae, secundum principia in Const. « Lumen gentium » et « Gaudium et spes » exponantur.

Eiusdem generis videtur esse notio quam de LEF nonnulli alii etiam proponunt, secundum quos nempe LEF contineat oportet tantummodo valores doctrinales programmaticos, non vero normas ordinis practici, non res pragmaticas.

2. De nonnullorum sententia, LEF *sola principia iuris divini* complectatur oportet, scilicet illa principia theologica structurae Ecclesiae quae divinitus sunt stabilita quaeque pro omnibus semper, in quolibet loco et quovis tempore vim habent. De eorundem sententia LEF eas tantum comprehendere potest normas quae ab Ecclesiae constitutione divina derivant; Codicibus vero relinqui debent normae quae respiciunt institutiones iuris humani, quae decursu temporis sunt introductae, ut v.g. Synodus Episcoporum, Collegium Cardinalium.

3. De plurimorum sententia, LEF *et principia theologica et normas iuridicas essentielles seu fundamentales* comprehendere debet.

Attamen, qui de hac notione Legis fundamentalis conveniunt, in varias abeunt sententias ad quaestionem quod attinet *de modo* quo principia theologica et normae iuridicae in ipsa LEF sunt exponenda. Tres praecipuae distingui possunt de hac quaestione sententiae.

a) Secundum priorem sententiam, Legis fundamentalis enuntiationes seu praescripta contineant oportet *normas iuridicas insimul cum principiis theologis quibus innituntur*. Ad mentem Episcoporum qui hanc tenent sententiam, schema LEF uti iacet, ad modum enuntiationum quod attinet, approbandum est, cum normas complectatur iuridicas, sed theologice fundatas.

Ut aliqui expresse declarant, excellentia schematis propositi praecise in eo consistit quod coniuncta continet principia theologica et normas iuridicas, « ita ut evacuari poterit illud vituperium contra actualem Codicem Iuris Canonici, quod Codex sapiat nimis odorem iuridicum ». Inde quidam schema propositum laudat ob harmoniosam qualitatum theologiarum et iuridicarum coniunctionem.

In eadem opinione sunt alii, qui affirmant in Lege fundamentali

ostendenda esse fundamenta iuris ecclesiastici et quidem eadem ex lege divina originem habere; sunt insuper qui declarant requiri ut LEF theologica insimul sit ac iuridica, et qui exoptant ut non nimis differatur LEF promulgatio et Codicis I. C. recognitio, quia abusus magis in dies invalescunt.

In eadem opinione item est qui affirmat sibi praeplacere in schemate proposito « quod Lex fundamentalis non est mera rigidaque iuridicarum normarum expressio, sed etiam vitae divino-humanae in societate Ecclesiae et mundo adumbratio ».

Eidem tandem sententiae adhaerere videntur et illi qui aestimant Legem Ecclesiae fundamentalem non posse limitari ad ea quae sunt immutabilia in Ecclesia, sed requiri ut contineat etiam ea elementa quae decursu saeculorum introducta sunt, sed apparent uti fundamentalia, vel quae quidem sunt iuris ecclesiastici, sed ex antiqua iam traditione deprompta. Ad eorum mentem, LEF theologica insimul sit requiritur et iuridica, atque complectatur oportet ius divinum, sed etiam manifestationes historicas concretas.

b) Omnem commixtionem theologiae et iuris canonici esse vitandam cum aliqui censeant, proponunt ut ipsae enuntiationes canonum sint stricte iuridicae, sed *ut ante singulas schematis partitiones enuntientur principia doctrinalia*, quibus nempe canones partis innituntur.

c) Item commixtionem theologiae et iuris canonici vitandam esse aestimantes, alii, et quidem non pauci, exoptant ut *generalis introductio indolis theologiae praemittatur utque deinde subsequantur normae canonicae, in quibus vero regulae mere iuridicae enuntiantur*, illae scilicet normae iuridicae quae communes sunt diversis Ecclesiis ritualibus et uti fundamentales haberi debent.

Multi sunt qui reiiciunt commixtionem inter theologiam et ius canonicum. Verum, inter eos qui eandem esse vitandam affirmant, plerique proponunt ut *introductio theologica* habeatur, praemittenda canonibus ipsis, tenoris mere iuridici.

Ita declarant aliqui Episcopi: « Non placet quod sub voce "Canon" simul et indiscriminatim tum expositiones doctrinales tum normae dispositivae seu leges comprehendantur. *Principia theologica ut prooemium adiici* debuissent toti schemati et singulis capitulis, vel singulis articulis. Normae autem positivae, seu leges, sub horum principiorum luce, canonibus reservarentur ... Si hac forma usum esset schema, multa alia quae in schemate non placent, hac ratione emendarentur ». Ut adnotat quaedam Episcoporum Conferentia, in lucem pro-



ferri debent principia theologica, quibus iustificatur, illuminatur et inspiratur futura recognitio Iuris canonici. Quod ut fiat, opportunum est ut praemittatur *declaratio doctrinalis*, synthetice complectens elementa emergentia in traditione ecclesiali et in specie desumpta ex Concilio Vaticano II. Talis declaratio non haberet indolem legis, sed eandem declarationem doctrinalem sequi possent canones constituentes aliquam « Legem generalem », quae esset indolis exclusive iuridicae, et quae esset vera LEX pro universa Ecclesia, insimul fundamentum praebens futuro Codici aut futuris Codicibus atque legibus Ecclesiarum particularium. Similis est sententia quam proponit alia Episcoporum Conferentia: Opportunum esset ut legi praemittatur Prooemium seu introductio, in qua iustificarentur natura, limites atque valor et finis legis fundamentalis. In hoc prooemio multa haberi possent quae desumerentur ex documentis conciliaribus, speciatim ex Const. « Lumen gentium ».

Et in eadem sententia etiam est qui scribit haec quae sequuntur: « Utrum tale documentum, quamvis (meo sensu) praecipue iuridicum esse debeat, etiam aliquam indolem dogmaticam exhibere possit necne, dubito. Forsan melius esset *quaedam praesupposita dogmatica in modo praefationis* memorari. Ipsa Lex fundamentalis ut vera lex iuridica proponenda et accipienda est, et hoc omnibus perspicuum esse debet ».

Non aliter sentire videtur qui animadvertit: Concilium Vaticanum II tentamen fecit ad declarandum « Ecclesiae mysterium ». Theologice est opus difficile. Potestne vero id verbis iuridicis circumscribi? difficilius adhuc procul dubio. Melius forsitan esset ut *in introductione aliqua doctrinali* exponerentur ea quae ordinationem Ecclesiae respiciunt, secundum S. Scripturam et Traditionem. Sed dein sequi possent canones, qui vero opus iuridicum sint oportet. Cum hisce convenit alius qui scribit optandum esse ut summa conficiatur legum Ecclesiae fundamentalium, et explicat: « optatur non tantum ut conficiatur veluti imago Ecclesiae, quod quidem est theologiae proponimentum, ex. gr. in Prooemio futuri Codicis elucide enuncianda, quam potius ut lineamenta « status » id est constitutionis societatis ecclesialis, quae est societas veri nominis, sed sui generis, iuridica immo et suprema quoad finem, componentia, structura et media discursu sat iuridico definiantur ». Eiusdem opinionis esse videtur alia Episcoporum Conferentia: LEF requiritur sit breve summarium principiorum quibus reguntur et Ecclesiae natura (inclusis structura et fine) atque iura christifidelium eorumque officia erga Ecclesiam et mundum. Haec LEF praebere debet

etiam fundamentum theologicum ordinis iuridici Ecclesiae et ita respondere debet obiectioni et accusationi legalismi, quas erga Ecclesiam proferunt non pauci.

Secundum quosdam pars theologica reducenda videtur ad ea quae in Prooemio schematis habentur. In canonibus, stilo iuridico, i. e. claris et concisis verbis, proponi deberent tantum leges generales e natura Ecclesiae profluentes, demptis textibus ex aliis documentis de-promptis. Haec documenta, ut fontes iuris ecclesiastici, separatim et alibi locum suum proprium inveniant.

Quibus assentiunt alii animadvertentes: theologica fundatio Legis fundamentalis sit confecta, sed tradatur in praefatione, corpus autem ipsius Legis fundamentalis sit vera Lex, non theologia.

4. De non paucorum Episcoporum sententia, LEF *documentum iuridicum* sit oportet, ex quo arcentur omnes, vel, iuxta alios, saltem pleraeque enuntiationes indolis theologicae. Ad mentem eorundem LEF requiritur sit revera ut aliqua *constitutio iuridica Ecclesiae*.

In hac sententia est quaedam Episcoporum Conferentia quae nempe declarat: LEF, quae quidem sequi debet methodum iuridicam, iuri scilicet propriam, praescindat oportet — quin eadem obliviscatur — ab elementis constitutivis non iuridicis (ex. spiritus, gratia, charisma etc.) et continere debet iura et obligationes fundamentales fidelium necnon generalia principia regiminis Ecclesiae. Elementa enim theologica sunt praeiuridica, quae in ipsa Lege haberi non debent.

Aliqui cuiusdam Conferentiae Episcopi opinantur Legem fundamentalem *sola principia iuris ecclesiastici fundamentalia* complecti debere. In quadam Episcoporum Conferentia, suffragio submissa est propositio haec quae sequitur: « sum in favorem alicuius documenti, quod non proprie sub forma Legis exhiberetur, sed potius formam indueret alicuius declarationis principiorum fundamentalium iuris ecclesiastici ». Quae propositio 47 Episcopis placet, 11 placet iuxta modum, 2 vero non placet. Eiusdem sententiae esse videtur alia quaedam Episcoporum Conferentia, quae quidem ad quaestionem de LEF opportunitate suffragium dans negativum, alia ex parte utilem aestimat Legem fundamentalem, quae complectatur declarationem iurium essentialium christifidelium atque principiorum fundamentalium regiminis Ecclesiae, inter quae extollendum est principium subsidiaritatis.

De plerumque, contra, sententia, LEF, uti vera lex fundamentalis, normas continere debet essentielles, normas scilicet communes diversis Ecclesiis ritualibus in universa Ecclesia existentibus, normas quae

insimul fundamentum praebent aliis normis iuris canonici in Ecclesia promulgandis. Distincte id exponit aliqua Episcoporum Conferentia: LEF habeat oportet indolem praeiviam et fundamentalem pro universa legislatione canonica. Inde, talis lex non potest solum exponere ius divinum constitutionale Ecclesiae. Nec potest esse tentamen ad contrahendum formulis iuridicis principia dogmatica ecclesiologiae Conciliorum Vaticani I et II, ita ut sit aliqua summula theologica-iuridica. E contra, talis lex id tantum intendere debet ut exponat elementa communia iuris universi, tam divini quam ecclesiastici, existentis in Ecclesia. Ita haberetur velut Codex fundamentalis universalis, superior et praeivius aliis Codicibus. Attamen, secundum eandem Conferentiam, LEF non debet complecti omnes normas huius iuris universi communis, sed tantummodo ius vere constitutum, scilicet ius sese referens ad determinationem principiorum et structurarum iuridicarum fundamentalium, quae hodie communia sunt universae Ecclesiae, vel quae constituunt disciplinam communem omnibus Ecclesiis particularibus vel peculiaribus. Secundum eandem Conferentiam, hic « Codex communis » comprehendere debet: *a*) enuntiationem principiorum communium iuridicorum fundamentalium et disciplinam institutionum universalium (ex. gr. normas « de Summo Pontifice », « de Concilio oecumenico » etc.); *b*) enuntiationem officiorum atque iurium omnium christifidelium, saltem officia et iura fundamentalia quae propria sunt omnibus christifidelibus, consideratis ut singulis et ut membris institutionum ecclesialium; *c*) determinationem structurarum iuridicarum fundamentalium, quae pertinent ad ordinationem uniuscuiusque Ecclesiae particularis; *d*) normas de fontibus iuris.

Eadem est mens alius Episcoporum Conferentiae. Memorat haec Conferentia quaestionem a Pp. Paulo VI positam, scilicet « num conveniat communem et fundamentalem condi Codicem ius constitutum Ecclesiae continentem », et arguit Legem fundamentalem requiri quae contineat elementa iuridica communia diversis Ecclesiis ritualibus. Lex, secundum eandem, est *factum iuridicum*, quae non debet proponi ut fundamentum theologicum et iuridicum. Lex igitur fundamentalis, quae quidem exoptatur, non sit « fundamentum theologicum », sed tantum « fundamentum iuridicum », scilicet sit *lex theologice fundata*, non vero « theologice fundans ». Eidem sententiae adhaerent quidam Episcopi: LEF intelligenda est codificatio seu systematica enumeratio earum normarum fundamentalium et communium, quibus certo temporis momento regitur Ecclesia universa.

Sunt tandem qui affirmant Legem fundamentalem *supponere doc-*

*trinam*, eam vero non enuntiare debere, ita ut *minuendae sint* expositiones theologicae quales in schemate habentur. Scribit aliquis eliminandam esse e textu schematis propositi maiorem partem considerationum doctrinalium et doctrinam supponendam esse, non in lege tradendam. Similiter alius: coarctanda sunt elementa dogmatico-theologica, quia Codex aliquis non est tractatus doctrinalis.

Non desunt insuper qui exoptant ut *forma magis iuridica* habeatur, vel ut forma iuridica magis appareat, et inde ut canones modo magis brevi redigantur. Sunt denique aliqui qui mentionem faciunt de aliqua lege formam seu generalem rationem legislationis praebente (Legge quadro, Loi cadre).

## II. DE TITULO SEU INSCRIPTIONE LEF

Cum quaestione de natura et fine Legis Ecclesiae fundamentalis procul dubio aliquatenus cohaeret quaestio de inscriptione seu titulo, de verbis nempe quibus indicari potest. Ad vota Episcoporum hac de re quod attinet, haec quae sequuntur dici debent.

1. Procul dubio *maior Episcoporum pars* de inscriptione seu de titulo LEF *nullam proponit observationem*. Expresse quidem titulum in schemate propositum approbant aliqui dum, e contra, de convenientia huius tituli dubitant alii, alium vero non proponentes. Verumtamen, eorundem plerique, cum de titulo proposito observationem non proferant, eundem admittere dicendi sunt. Expresse etiam eundem admittere declarant aliqui, ea tamen lege ut manifestum sit hanc Legem non esse fundamentalem eodem sensu ac Evangelium, Traditionem aut Concilia oecumenica.

2. *Inscriptionem omnino diversam* proponunt aliqui, aestimantes in titulo de Iesu Christo mentionem esse faciendam, aut saltem de Traditione Apostolica. Titulus ita proponitur *De praxi Ecclesiae fundamentalis normante, e Christo Iesu, lege nostra, promanante*, aut *Traditionis apostolicae constitutio canonica*, quia non convenit titulus LEF, cum Christus sit fundamentum Ecclesiae et finis legis.

3. A quibusdam proponuntur tituli, quibus indicatur Legem Ecclesiae fundamentalem esse potius *summam principiorum theologorum et iuridicorum* tantum, quae veluti fundamentum praestant legibus proprie dictis in Ecclesia vigentibus aut condendis. Ita proponuntur: *Declaratio iurium et officiorum atque principia generalia regiminis*

*Ecclesiae; Declaratio generalis de Ecclesiae natura, constitutione atque missione; Expositio quaedam principiorum doctrinalium et disciplinae essentialis; Fundamentum theologicum et iuridicum omnium legum Ecclesiae; Declaratio de iuribus fundamentalibus vel Principia fundamentalia de Ecclesiae vita et ordine; item, si schema eundem tenorem servaret, sed non haberet formam legis Principia fundamentalis iuris in Ecclesia; item Fundamenta legis ecclesiasticae.*

4. Ab aliis nonnullis inscriptiones proponuntur quibus magis indicatur LEF esse corpus legum. Ita proponuntur *Normae generales de Ecclesiae structura et muneribus; Principia theologico-canonica vel Principia constitutionalia; vel etiam Ius constitutivum Ecclesiae catholicae; Lex generalis aut Codex communis.*

### III. DE VALORE LEGIS FUNDAMENTALIS - DE HIERARCHIA NORMARUM

1. *In ipso LEF textu peculiaris valor* Legis fundamentalis affirmandus est, secundum multos Episcopos. Ad eorum mentem, lex Ecclesiae fundamentalis *uti suprema norma iuridica Ecclesiae* proponi debet, uti lex fundamentalis seu complexus canonum fundamentalium, lex quidem quae est *aliis legibus omnibus superior*, cui omnes aliae leges subordinantur, et quae maiore quadam stabilitate gaudet quam aliae leges. In ipso textu Legis fundamentalis, haec indoles superior affirmanda est, ut statim lex appareat ut lex iuridica Ecclesiae suprema, quacum congruere debent aliae leges, scilicet leges Ecclesiarum ritualium sicut et leges Ecclesiarum particularium, quae nempe omnes normis Lege fundamentali statutis inniti debent. Expresse id affirmant non pauci.

2. *Principia in ipsa LEF stabilienda* a nonnullis Episcopis proponuntur, attenda etiam propositione de qua sermo fit in Relatione ad LEF, p. 123. Concordant in affirmando haec quae sequuntur principia:

1) nulla alia norma seu lex canonica praevalere potest contra normas Legis fundamentalis, scilicet, secundum textum ab aliquo Episcopo propositum: « Adversus hanc Legem Ecclesiae fundamentalem nulla praevalere potest lex, a quacumque ecclesiastica auctoritate sit lata »;

2) iuxta hanc Legem fundamentalem reliquae leges interpretandae et applicandae sunt, nec contra ipsam iudex ecclesiasticus sententiam proferre potest;

3) requiritur aliquod organum iurisdictionale vel iudiciale, potestate ordinaria, vicaria Romani Pontificis, gaudens, coram quo quaelibet norma Legi fundamentali contraria impugnari valet, vel a quo nulla declarari debet quaelibet norma Legi fundamentali contraria, et quidem sive ad petitionem partis, sive ex officio.

3. *Rationes et procedura revisionis LEF*, secundum non paucos, in ipsa *Lege fundamentali* statui debent.

Secundum alicuius Episcopi observationem, requiritur ut in ipsa LEF addantur normae de futuris Legis fundamentalis mutationibus vel revisionibus, quibus determinatur etiam in quibusnam adiunctis mutationes introduci possint, atque quid valeant singuli ad emendationes sive promovendas sive impediendas.

Sunt et alii qui in genere affirmant in ipsa LEF introducendas esse normas quibus eiusdem Legis fundamentalis *recognitio et mutatio regitur*. Sane, uti aliqui expresse id declarant, Lex fundamentalis necessaria quadam stabilitate gaudeat oportet, sed et flexibilitate polleat requiritur. De eorum vero omnium sententia, ipsa LEF continere debet normas quibus eiusdem revisio seu recognitio et mutatio regitur et ordinatur.

De sententia cuiusdam, definiri debet in ipsa LEF *procedura eaque peculiariter sollemnis* et taxative stabilis, secundum quam quaelibet emendatio praescriptorum LEF fieri debet, ita ut omne arceatur dubium. Animadvertit scilicet: « Normae Legis fundamentalis non sunt quidem irreformabiles, sed oportet ut reformari possint solummodo per modificationem ipsius Legis fundamentalis, non autem per leges gradus inferioris ... Nemo est qui negat quod, sicut dicitur in p. 123 Relationis, " in Ecclesia eadem est auctoritas suprema, cuius est leges universales ferre ordinarias et legem ferre fundamentalem ". Nihil tamen obstat quominus, si Suprema quidem Auctoritas hanc suggestionem recipere velit, Summus Pontifex Legem fundamentalem promulget, simul *declans Se hanc legem mutare non velle nisi id expresse et per actum proprium manifestet* ».

4. *Hierarchia normarum* admitti atque statui debet, secundum nonnullos Episcopos. Hoc principio stabilito, maior obtinebitur perfectio ordinis iuridici canonici maiorque securitas iuridica. Animadvertit eorundem aliquis quod si hoc principium circa « hierarchiam productionis iuris canonici » non stabiliatur, vanae sunt normae cann. 20-21 de tutela iurium christifidelium. Hierarchia normarum praebebitur neces-

saria coordinatio inter legem fundamentalem atque alias leges ecclesiasticas. Tandem principium hierarchiae normarum magno auxilio erit Ecclesiis particularibus, quia eodem praebetur non tantum spiritus quo normae constitui debent, sed et regulae praestantur quibus regitur normarum interpretatio et applicatio. Lex inde fundamentalis suprema normas continere debet, quibus aliae subiiciuntur, sed ad praecipuas regulas, fundamentales quidem, coarctanda est, nec ad particularia descendere potest, uti expresse declarat alius.

#### IV. RELATIO SCHEMATIS LEF AD DOCTRINAM CONCILII VATICANI II

Sunt qui schema propositum laudant quique aperte profitentur hoc schema omnino congruere cum doctrina Concilii Vaticani II. Animadvertit tamen eorum aliquis legem hanc non esse accipiendam uti perpetuo mansuram, cum Concilium Vaticanum II non debeat doctrinae theologicae evolutionem impedire.

Contra, non pauci Episcopi aestimant schema propositum in quibusdam saltem deficere a spiritu et a doctrina Concilii Vaticani II. Animadversiones praecipuae, quae ad hos defectus se referunt, per summa capita exponi possunt ut sequitur.

1. Aliqui, non pauci ut videtur, censent schema propositum *recedere a spiritu Concilii Vaticani II*. Eorum vero plures non distincte explicant in quonam ille defectus consistat. Alii vero praebent explanationem, indicantes in specie in quibusnam schema propositum a doctrina Concilii deflectat. Est qui aestimat substantiam schematis approbari non posse, cum recipiat principia unius, ex variis scholis theologis, non autem satis exprimat voluntatem populi Dei. Aliae vero rationes allegantur, quae modo considerandae sunt.

2. Contrarius est promulgationi LEF aliquis Episcopus, — et cum eo aliqui alii — quia *impedimento esse potest perenni reformationi* qua Ecclesia semper indiget quamque sine intermisso persequi debet. In Concilio, ita declarat, affirmata est indispensabilis indoles dynamica Ecclesiae, quae seipsam semper magis intelligere debet; et citat declarationem Decreti « Unitatis Redintegratio », n. 6: « Ecclesia in via peregrinans vocatur a Christo ad hanc perennem reformationem, qua ipsa, qua humanum terrenumque institutum, perpetuo indiget ». Lex autem fundamentalis, inspecta rigiditate sermonis tecnico-iuridici in discrimen adducit ulteriorem perseverantiam reformationis. Insuper,

Orientalibus christianis seiunctis potest videri tentamen latinizationis Orientis. In animadversionibus generalibus quas idem obiciens profert ad schema propositum, proponit ut integra materia LEF, saltem eius ideae fundamentales, desumantur ex documentis Concilii Vaticani II utque forma quoque seu dicendi modus sit modus adhibitus in iisdem documentis conciliaribus.

3. De sententia alius animadvertentis, recessus a Const. « Lumen gentium » in eo praesertim est quod nulla in schemate mentio fit *de Ecclesia tanquam mysterio*, et tantum obiter schema sermonem facit de Ecclesia peregrinante (can. 2, § 4). Contra vero, alii Episcopi, non pauci, ut ex supra dictis (p. 11) apparet, censent de mysterio non esse sermonem faciendum in LEF, quae, saltem in corpore, de rebus iuridicis tantum agere debet. Sunt immo qui aestimant impossibile esse ut de Ecclesiae mysterio in LEF agatur, quique affirmant mysterium Ecclesiae non posse aliqua Ecclesiae constitutione definiri.

4. De aliorum quorundam sententia, recessus a doctrina conciliari eo praesertim probatur, quod schema propositum *non videtur satis exprimere plenam theologiae evolutionem seu progressum*, qualis in Concilio Vaticano II habetur. Alia autem ex parte animadvertit aliquis necessariam esse continuitatem cum doctrina et praxi anterioribus Ecclesiae, in specie cum doctrina Concilii Vaticani I.

5. Secundum alios, defectus congruentiae cum doctrina conciliari eo manifestatur quod, in Cap. II schematis praesertim, non traditur doctrina Const. « Lumen gentium », cum Ecclesia non sufficienter describatur uti *populus credens habens missionem in mundo et erga mundum exercendam*. Deficit, secundum eosdem, ille aspectus missionalis Ecclesiae. Proponitur praesertim in LEF Ecclesia uti societas hierarchica de suis negotiis internis sollicita.

6. Pleraeque animadversiones, quae relationem LEF ad doctrinam conciliarem respiciunt, sese referunt ad *collegialitatem*.

a) Secundum quosdam, magis scrutari debet notio collegialitatis, magisque determinanda et evolvenda est collegialitas. Contra, de sententia alicuius Episcoporum Conferentiae, collegialitas non est definitive determinanda in normis schematis.

b) Secundum alium, ordinatio requiritur collegialitatis, verae in Episcoporum Collegio mundiali: collegialitas inter Caput et membra; collegialitas membrorum inter se. Non debet esse haec collegialitas



« in sensu unico », quae in eo consistit ut coerceantur seu adigantur membra Collegii ut sese conforment Capiti, docenti et statuenti.

c) De aliquorum sententia, *exercitium collegialitatis* non sufficienter in schemate attenditur et magis in specie determinari debet.

A quadam Episcoporum Conferentia distinguuntur: 1. collegialitas in *sensu stricto*, scilicet existens in Episcoporum Collegio, inter Summum Pontificem et membra Collegii; 2. collegialitas in *sensu lato*, respiciens cooperationem Episcoporum inter se in coetibus Ecclesiarum particularium cooperantium; 3. collegialitas in *sensu improprio*, quae quidem respicit christifidelium laicorum responsabilitatem eorumque corresponsabilitatem in institutis ecclesiasticis.

d) Secundum aliam Episcoporum Conferentiam, similiter, schema propositum non satis definit vias quibus exerceri potest collegialitas et corresponsabilitas in Ecclesia. LEF modos definire debet quibus exercetur collegialitas, et quidem: inter Romanum Pontificem et Episcopos; inter Ecclesiam universam et Ecclesias particulares; inter Episcopum et populum Dei. Huius sententiae etiam sunt non pauci Episcopi, qui nempe aestimant in schemate nimis affirmari centralizationem regiminis in Ecclesia et non sufficienter locum esse collegialitati.

De sententia aliquorum, canones in quibus *de relationibus* agitur *inter Romanum Pontificem et Collegium* non adhaerent doctrinae Concilii. Scribit eorum aliquis: « Const. "Lumen gentium", de structuris Ecclesiae agens, initium facit ab Episcoporum Collegio, et deinde determinat locum quem habet in Collegio Summus Pontifex, sed illum determinat in contextu Collegii. Id minime coarctat potestatem Romani Pontificis, et ordo dicendi magis logicus dicendus est. Textus schematis, primo loco agens de Romano Pontifice et deinde de Collegio, ansam praebet multis difficultatibus ». Alii similiter opinantur in schemate, ut congruum sit Concilio, prius agendum esse de Collegio Episcoporum, deinde de Romano Pontifice. Altera ex parte est qui affirmat sibi placere prudentiam in « aequilibrio describendo inter partes Summi Pontificis et partes Episcoporum in regenda Ecclesia ».

7. Item *in ordine dicendi*, schema a doctrina conciliari recedere aestimant quidam Episcopi. De sententia quorundam, certo in LEF agendum est de Romano Pontifice, sed postquam actum est de Collegio Episcoporum, uti fit in Const. « Lumen gentium ». Alius vero censet agendum esse: 1) de Romano Pontifice deque ceteris Episcopis (cann. 34-38); 2) de Collegio Episcoporum; 3) de Episcopis singulis.

8. De aliquorum sententia, *nimis in schemate quaestio est de Hierarchia* non autem sufficienter de ipso populo, in specie de laicis; de presbyteris etiam et de religiosis, magis agendum est, ut eorundem pars in Ecclesia magis circumscribatur.

Scribit eorum aliquis: totus Art. 2 Capitis I et fere integrum Caput II in describendis Hierarchiae muneribus quasi exclusive consistit, et quam maxime Episcoporum: Episcopatus est veluti centrum et cardo maioris partis schematis. Perpauca habentur de religiosis, pauca etiam de presbyteris, perpauca quoque de laicis ut talibus. Iusta proportio servanda est.

Similiter alii nonnulli aestimant nimiam partem tribui Hierarchiae, et laicos haberi tanquam subiecta passiva, potius quam ut membra plene responsabilia communitatis viventis a Spiritu Sancto animatae.

Pariter quidam alii reprehendunt nimiam partem quae in schemate tribuitur Episcopis, quorum scilicet eminens status extollitur tum erga Caput, Romanum Pontificem, tum erga presbyteros.

9. *In genere relatio ad doctrinam et ad textus Concilii Vaticani II* a quibusdam Episcopis tractatur.

Cum schema omnino fidele sit oporteat documentis Concilii Vaticani II, affirmat eorum aliquis *ex Concilio desumenda esse* praesertim materiam, i. e. *ideas fundamentales* Legis fundamentalis. Et refert ea quae a Summo Pontifice Paulo VI dicta sunt in oratione quam habuit Conventui internationali Canonistarum: « la chiesa, fedele in questa ora post-conciliare, cercherà in se stessa, nella sua intima e misteriosa costituzione, il perché ed il come della sua antica e rinnovata disciplina canonica » (L'Oss. Rom., 19-20 ian. 1970, p. 1).

Multi quidem Episcopi autumant, et quidem iure meritoque, Legem fundamentalem omnino congruam requiri doctrinae Concilii Vaticani II. Ast, non pauci adnotant non ideo in ipsa lege fundamentali universam Concilii doctrinam esse assumendam, atque non ideo ipsos textus conciliarium documentorum in LEF esse referendos.

In adnotationibus quas protulit quaedam Episcoporum Conferentia, affirmatur id quod sequitur: Textus propositus in schemate LEF magna ex parte est summa declarationum dogmaticarum Concilii Vaticani II. De sententia nostra, LEF niti tantummodo debet illis declarationibus theologicis Concilii Vaticani II, quibus inducitur nova lex aut mutatur ius vigens.

Saepius in responsis Episcoporum qui de relatione schematis ad Concilium Vaticanum II agunt, haec occurrit animadversio, quod nimis

dependet schema a textibus ipsius Concilii. Secundum aliquorum declarationem, LEF ne tentare quidem potest ut formis seu normis iuridicis delineet principia dogmatica ecclesiologica propria Concilii Vaticani II, eadem reassumendo et exponendo in quadam « summula » theologico-canonica. Similiter secundum alios, mendum est schematis, quod conatur verbis, vel normis iuridicis referre ideas et conceptus a documentis non-iuridicis desumptos. De nimia dependentia a textibus conciliaribus et alii sermonem faciunt. Ita aliquis scribit: Certum quidem est in Lege fundamentali incorporanda esse quae a Concilio Vaticano II praebentur elementa; textus autem schematis id facit ratione nimis servili: multi enim doctrinalia Concilii in quodam Codice referri non debent. Pariter alius adnotat dependentiam LEF a textibus Concilii Vaticani II modum debitum excedere. Et in eodem sensu non pauci, arguentes modum dicendi in canonibus adhibendum differre a modo dicendi in documentis doctrinalibus adhibitum.

Alia autem ex parte, non desunt Episcopi qui schema propositum improbant, quia textus eiusdem nituntur solis documentis Concilii Vaticani II, *neglectis aliis Conciliis oecumenicis* et traditione. Mirari quis potest, ita eorum aliquis, quod documentum tanti momenti videatur promanasse *ex unico quasi fonte*. Observat item eorundem quidam *alia etiam Concilia oecumenica* esse citanda, cum multa de Ecclesia statuerint, et quidem quandoque definitiones tradendo. Est qui observat tolerari non posse citationes in calce factas, si intentio est « ut tales citationes una cum LEF, uti fontes unici canonum, promulgentur », quia « videretur ac si in uno Concilio Vaticano II contineatur doctrina ac Traditio, quod non est verum ». Tandem rogat aliquis Episcopus ut manifesta sit aestimatio quam Ecclesia habet saeculorum praeteritorum, quia ex praeterito « permanet ad nostros dies thesaurus doctrinae et experientiae, quem uti authenticum testimonium suae missionis in historica circumscriptione, Ecclesia numquam praetermittit ».

## V. DE MATERIA LEF PRAESERTIM MAGIS IN SPECIE

I. *De materia Legis fundamentalis in genere* quae in animadversionibus proferuntur differunt secundum naturam et finem quos, de proferentium sententia, persequi debet LEF.

Illi qui, numero quidem pauciores, aestimant requiri ut LEF indolem habeat *potius doctrinalem*, sententiam proponunt secundum quam magis de « Mysterio » Ecclesiae sermonem facere debet LEF, quae

secundum eosdem, praesertim complecti debet principia iuris divini, illa scilicet principia theologica quae pertinent ad theologiam Ecclesiae structuram, qualis divinitus sunt stabilita. Ad mentem eorundem, Codicibus relinqui debent ea quae spectant ad institutiones iuris humani, quaeque decursu temporum introducta sunt.

Alii aestimant requiri ut LEF complectatur leges fundamentales, « *theologicas et iuridicas* », uti dicunt, ut habeatur fundamentum quo nitantur Codices. Non pauci affirmant Legem fundamentalem exponere debere non sola principia quae sunt iuris divini, sed etiam ea quae decursu temporum introducta sunt elementa structuram Ecclesiae magis determinantia.

Alii tandem, et quidem eorum qui observationes proponunt plerique, sententiam tenent, secundum quam ipsa Lex fundamentalis *normas tantummodo iuridicas* complecti debet, normas scilicet fundamentales quae respiciunt ordinationem Ecclesiae universalis seu eiusdem structuram, principia generalia seu communia quibus regitur Ecclesiae vita necnon praecipua iura et officia christifidelium. Ita expresse declarat aliqua Episcoporum Conferentia: « Lex fundamentalis requiritur, quae sit vera Lex, non autem quorundam principiorum theologorum plus minus habilis digestio. Ius enim, sive fundamentale, sive dispositivum, cum theologia confundi non debet, quamvis theologis veritatibus, quatenus a Magisterio proponuntur, lucem inspirationemque haurire debeat ». Sane, uti asserunt non pauci, principia theologica in prooemio seu praefatione ad Legem fundamentalem enuntiari possunt, et convenit ut enuntientur. In ipso autem Legis fundamentalis corpore, sola stabiliantur principia iuridica praecipua, quae ad structuram Ecclesiae universae Ecclesiarumque peculiarium et particularium, ad disciplinam eisdem communem, necnon ad officia iuraque christifidelium fundamentalia pertinent. Ut declarat quaedam Episcoporum Conferentia, id lege fundamentali intendi tantum debet ut determinantur atque exponantur elementa iuris universalis, tam divini quam ecclesiastici, in Ecclesia existentia eamque gubernantia; ita haberetur aliquis Codex universalis, superior et praevious aliis Codicibus.

In eodem sensu aliquis Episcopus, scribens in Lege fundamentali exponenda esse structuram Ecclesiae, munus auctoritatis, criteria pertinentiae ad Ecclesiam, necnon omnia iuris canonici fundamenta: particulares leges, ait, fundamento indigent. Citare iuvat etiam quae scribit alius: « Videtur opportunum ut elementa communia omnium Ecclesiarum catholicarum formulentur tanquam normae fundamentales,

quibus nituntur omnes Ecclesiae ad unitatem catholicam pertinentes, et quibus omnes leges particulares subsequentes conformandae sunt ad unitatem Ecclesiae catholicae fovendam ».

II. *De materia Legis fundamentalis magis in specie* Episcopi multi observationes proponunt. Secundum animadversiones generales ab iisdem prolatis, aliqui aspectus structurae Ecclesiae nimis in schemate proposito extolluntur, dum alii eiusdem structurae aspectus aut negliguntur aut saltem non modo debito affirmantur. Animadversiones vero Episcoporum quae quaestiones in LEF ordinandas respiciunt, haud raro inter se contrariae sunt. Perpendendae autem sunt, cum non parvi momenti esse possint etiam ut generalis schematis textura recognoscatur.

1. *De Ecclesiis Orientalibus magis ratio habeatur in schemate.* De aliquorum sententia, in schemate non habetur debito modo ratio Ecclesiarum Orientalium.

In genere quidam observant requiri ut Lex fundamentalis talis sit quae plenius rationem habeat Ecclesiarum Orientalium.

Contrarii Legi fundamentalis sunt aliqui, quia Lex fundamentalis seu constitutio quaedam nimis sapit ideas occidentales et aliena videtur a modo sentiendi Orientalium. Potest haberi talis lex uti tentamen latinizationis Ecclesiarum Orientalium. Contrarium inde videtur hoc tentamen et intentum declarationi Concilii Vaticani II, quod quidem in Decreto « Unitatis redintegratio » haec habet: « Sacra Synodus, ad omne dubium tollendum, declarat Ecclesias Orientis, memores necessariae unitatis totius Ecclesiae, facultatem habere se secundum proprias disciplinas regendi, utpote indoli suorum fidelium magis congruas atque bono animarum consulendo aptiores » (n. 16).

Altera autem ex parte Episcoporum Ecclesiarum Orientalium qui observationes miserunt, non pauci favent alicui Legi Ecclesiae fundamentalis, qua unitas Ecclesiae affirmatur. Ita v. g. eorum aliquis scribit se favere Legi fundamentalis pro universa Ecclesia catholica, quia una est Ecclesia Christi, ita ut valeant requisita unitaria ordinari, quae pro omnibus valent.

Rogant quidem aliqui Episcopi ut in schemate recognoscendo conceptio iuridica latina ad aequilibrium perducatur per conceptionem magis pneumaticam Orientalium. Requiritur alii ut in eodem schemate recognoscendo magis ratio habeatur decretorum Concilii quae Ecclesias Orientales respiciunt utque magis attendatur ad earum structuram iuridicam.

Tandem expresse aliqui rogant ut in schemate emendando attendatur magis ad ecclesiologicalam traditionem Ecclesiarum Orientalium atque ad *praerogativas Patriarcharum*. Ita aliqua Episcoporum Conferentia, recordans Concilium Vaticanum II mandatum dedisse « ut iura atque privilegia Patriarcharum instaurentur iuxta traditiones antiquas uniuscuiusque Ecclesiae et Synodorum oecumenicorum decreta » (Decr. « Orientalium Ecclesiarum », n. 9). Item aliquis Episcopus petit ut status Patriarcharum in Ecclesia aptius definiatur, ita ut ad pristinam quam in Ecclesia habuit dignitatem reducatur. Eiusdem sententiae sunt qui rogant ut in LEF maius tribuatur momentum coniunctioni Ecclesiarum particularium in Patriarchatus, provincias ecclesiasticas etc.

2. *De LEF respectu oecumenismi agunt non pauci Episcopi*. Sunt aliqui qui aestimant detrimento esse oecumenismo Legis fundamentalis promulgationem, dum alii, contra, censent eandem oecumenismo favere. Praeterea requirunt nonnulli ut in ipsis normis LEF regulae inserantur quae oecumenismum respiciunt.

Oecumenismo adversari LEF aliqui putant, et quidem has ob rationes: aestimare possunt fratres seiuncti in Ecclesia romana Legem fundamentalem quam ipsa promulgat maius momentum habere quam Dei verbum, in Evangelio et Traditione contentum; insuper promulgatio alicuius legis fundamentalis, inspecta rigiditate sermonis technico-iuridici, in damnum esse potest ulteriori reformationi, qua Ecclesia in via peregrinans perpetuo indiget, necnon contraria dialogo cum christianis seiunctis instituto; tandem peculiari modo LEF detrimento esse potest plenae communioni instaurandae cum fratribus Orientalibus, a quorum mente videtur aliena idea legis fundamentalis, quae mundo occidentali est propria.

Item timent aliqui ne LEF progressui oecumenismi obstare possit.

*E contra*, alii aestimant Legem fundamentalem oecumenismo favere. Rationes allegantur, quia « exhibet ipsis (christianis seiunctis) Constitutionem, genuinam imaginem Ecclesiae », quia « fratres separati ex ipsa dilucide cognoscere queunt quid iuxta revelationem christianam sit Ecclesia catholica et quomodo structuretur ». Alii arguunt schema oecumenismo favere, eo quod in eodem exponuntur veritates de Ecclesia, sine ulla dissimulatione, quin aliqua reticeatur veritas. Est qui haec scribit: « Si dein consideretur oecumenismus prouti a catholicis exerceri debeat, danda est populo christiano clara Ecclesiae visio, quae sui ipsius conscientiam Ecclesiae catholicae absque dubitatione demonstret ». Ceterum, omnes de hac re scribentes admittere videntur diversitates

quae habentur inter varias communitates christianas celandas non esse. Ad modum loquendi quidem cum debita prudentia agendum est, et, ut notat eorum aliquis, de modo dicendi peti potest sententia Secretariatus pro unione christianorum.

Altera ex parte, aestimant aliqui *in schemate proposito non satis provideri oecumenismo*. Verbis generalibus id observant quaedam Episcoporum Conferentiae necnon aliqui Episcopi. Attamen alia Episcoporum Conferentia animadvertit in LEF numquam talia principia esse enuntianda, quae reciprocitatem minime servant aut quae, dum secundum fidem catholici christiani sunt certa, in dubium vel diminutionem fidei vertantur.

Tandem secundum aliquos schema propositum, quod pauca omnino habet de oecumenismo, eo deficit quod non tractat de relatione inter Ecclesiam Romano-catholicam et alias communitates Ecclesiasve christianas. De sententia alicuius, omnino desideratur ut in LEF habeantur declarationes Concilii Vaticani II respicientes fratres non catholicos. Vix innuitur haec doctrina in can. 7, § 2. Ast considerantur tantummodo singuli christiani earundem communitatum, non vero ipsae communitates ecclesiales qua tales. Sunt in communionem cum Ecclesia, licet non modo perfecto, et ideo, secundum eundem, diversi aspectus earum vitae necessario locum habere debent in LEF.

Item alia Episcoporum Conferentia, necnon aliqui Episcopi animadvertunt schema quidem agere de christianis non-catholicis individuis, sed non determinare locum quem in Ecclesia habent ipsae eorundem communitates vel Ecclesiae. Secundum quosdam, relatio inter Ecclesiam catholicam et singulas communitates christianas non-catholicas determinanda est consilio habito cum aliquibus earundem membris, earum nomine loquentibus. Quaedam Episcoporum Conferentia demum censet in ipsa LEF requiri declarationem de habitudine Ecclesiae catholicae ad alias Ecclesias vel religiosas confessiones, ad religiones etiam non christianas, immo ad non credentes.

3. *Principium subsidiaritatis* magis affirmandum et ad effectum deducendum esse in LEF aliqui expetunt. Animadvertunt scilicet aliqui magis in lucem proferri atque enucleari debere principium subsidiaritatis in Ecclesia. In LEF, quae solas normas vere fundamentales complecti debet tantum, maior autonomia affirmanda est Ecclesiarum particularium et regionalium. Aliqua Episcoporum Conferentia declarat magis urgendum esse principium subsidiaritatis, ut maior habeatur *decentralisatio*, et quidem decentralisatio erga legem, ita ut lex parti-

cularis maius momentum obtineat, necnon erga organa, ut vitetur centralisatio potestatis.

4. *Magis ex professo de Ecclesiis particularibus necnon de Ecclesiarum particularium coetibus* agendum esse in LEF aliqui autumant.

In genere aliqui rogant ut schema LEF magis ad Ecclesias particulares attendat, scilicet ut non tantum urgeat Ecclesiae universae unitatem, sed et distinctius affirmet *eiusdem varietatem*. Inde aestimant magis expresse de Ecclesiis particularibus deque earundem coetibus, de Ecclesiis peculiaribus quoque, agendum esse in LEF. Fusius, secundum eorundem aliquos, agere debet LEF *de Synodis dioecesanis, de Conciliis particularibus*, de Conciliis nempe provincialibus et regionalibus seu nationalibus, immo, secundum nonnullos, *de Episcoporum Conferentiis*. Praeterea, si, ut speratur, maior libertas actionis tribuatur Ecclesiis particularibus, Lege fundamentali determinari deberent principia generalia quae leges Ecclesiarum particularium regant.

De necessitate determinandi locum quem in Ecclesia habent Ecclesiae peculiares, aliqui Episcopi mentionem faciunt. Aestimant non tantummodo iura privilegiaque Patriarcharum esse definienda, sed etiam determinandum esse locum quem in universa Ecclesia habent *Ecclesiae patriarchales*, immo et *Ecclesiae nationales*. Arguit aliquis ut sequitur: formae regiminis a Concilio Vaticano II determinatae sunt Episcoporum Conferentiae nationales et regionales, Senatus presbyterorum, sicut et Consilia pastoralia et paroecialia, quae formae sunt corresponsabilitatis, quae vero negliguntur in schemate proposito.

Sunt tandem nonnulli qui petunt ut Ecclesiae particularis personalitas iuridica in LEF affirmetur utque insimul declaretur eandem representari per Episcopum, etiam ad extra.

5. *Idea servitii magis extollenda* est, secundum nonnullos Episcopos, affirmantes magis de ministerio, de servitio esse sermonem faciendum quam de potestate et iure.

Uti iam supra notatum est, aspectus missionalis Ecclesiae non satis affirmatur, secundum aliquos. Scribit aliquis Episcopus: non invenitur in schemate, modo saltem debito, imago Ecclesiae quae est in missione, Ecclesiae quae pro mundo operatur. Et addit: in describenda hierarchica Ecclesiae structura, vindicatur primatus Romani Pontificis, Episcoporum, non autem satis apparet idea communionis fraternae et servitii. Animadvertit item alius magis sermonem esse faciendum de voluntate Ecclesiae ministrandi seu inserviendi. Recenseri hic etiam po-



test votum alicuius, de cuius sententia verbum « servitium » adhibendum est loco verborum « potestas » et « munus ».

6. *De iuribus fundamentalibus christifidelium.* Non paucae proponuntur de fundamentalibus officiis et iuribus christifidelium omnium animadversiones ad textum propositum.

a) Est *aliquis* Episcopus qui *contrarius est insertioni* horum iurium in LEF, et quidem ob periculum quod tali insertioni inest. Aestimat imprimis iura fundamentalia, quae in schemate enuntiantur, praecipue desumpta esse ex Const. « Gaudium et spes », qua vero, ita arguit, eadem iura affirmantur « coram Societate civili ». Praeterea, ita idem Episcopus, multi abutuntur libertate conscientiae, contra manifestam et certam doctrinam, uti a Summo Pontifice est declarata. Tendunt inde etiam habetur utendi iuribus fundamentalibus, ita agnitis, ad neganda iura Hierarchiae, in specie ad negandum eiusdem ius invisendi doctrinam quae proponitur. Uti exemplum affert LEF canonem, in quo affirmatur omnium christifidelium officium proclamandi Evangelium. Freti tali canone, arguit, possunt christifideles negare missionem propriam Episcoporum et presbyterorum; et ita, ait, negatur doctrina tradita a Benedicto XV in encyclica quae de officio sacerdotum praedicandi Evangelium agit.

Etiam de sententia cuiusdam Episcoporum Conferentiae, enuntiatio iurium fundamentalium fieri non debet in LEF, sed in Codicibus. Ratio allegatur, quia cum talis enuntiatio separetur a materia ad quam pertinet, periculum habetur ne quis contendat iura, de quibus in LEF mentio non fit, non existere.

b) Alii vero qui de iuribus christifidelium fundamentalibus observationes proferunt, communiter ob eorum iurium enuntiationem schema propositum laudant. Hoc vero non obstante, eorum plurimi observationes proponunt, quarum praecipuae modo recensentur.

Imprimis, aliqui arbitrantur eadem iura *modo nimis restrictivo* enuntiarum, et quidem ante omnia ob saepius additam clausulam « ad normam sacrorum canonum ». Notat eorum aliquis unamquamque enuntiationem corrigi restrictionibus, quae quidem haud raro magis strenue affirmantur quam ipsa iura enuntiata. Restrictiones, ad eius mentem, inhaerent naturae ipsius iuris et ideo affirmari non debent, ita ut eadem christifidelium iura, nulla addita limitatione, enuntianda sint. Non aliter sentire videtur quaedam Episcoporum Conferentia, secundum quam enuntiatio iurium sufficit, quin mentio fiat de restrictionibus, quae quidem remittendae sunt ad leges particulares (Codicis), quippe quae ma-

terias particulares respiciant. Id solum, de eiusdem sententia, admitti potest ut generalis aliqua enuntiatio restrictiva habeatur, ut v. g. « salvis legum praescriptis ».

Contra, iuxta sententiam quam profert alia quaedam Episcoporum Conferentia determinatio officiorum et iurium fundamentalium requiritur, et enuntianda est modo canonico-iuridico, forma scilicet accurata et certa.

De sententia alicuius Episcopi, magna emphasis adhibetur in affirmandis iuribus, christifidelium praesertim. Requiritur eadem emphasis *in proclamandis officiis*, tum pastorum tum christifidelium, quia « officiorum affirmatio semper praecedit iurium declarationem, eo vel magis quod si pastores et fideles toti sint in officiis suis adimplendis, eorum iura sarta tectaque manebunt ».

Ad mentem alius observantis enuntiatio iurium christifidelium facta est perspectiva *nimis individualistica*.

Censent aliqui elenchum iurium fundamentalium *non esse completum*. De cuiusdam sententia deficit praesertim in enuntiatione iurium fundamentalium aliquod elementum generale, et non attenditur ad spiritum « criticum » catholicismi adulti, qui hodie praesto est. Contestatio, quae hodie generalis est, etiam in campo religioso, contraria est praecipue omnibus modis « pressionis », paternalismo scilicet, dominationi, iniustitiae, tormentis physicis et moralibus. De eiusdem sententia, generalis illa hominum exigentia, scilicet ut liberi sint ab omnibus tormentis, uti fundamentale principium affirmari debet in LEF. Secundum alium animadvertentem, enuntianda quoque est *libertas dissensionis*: textus schematis enuntiat libertatem qua unusquisque gaudet adhaerendi alicui Ecclesiae, nulla adhibita coactione; non autem affirmatur *libertas discedendi* ab Ecclesia ad aliam Ecclesiam christianam acceptandam aut ad omnem Ecclesiam abiciendam.

Reprehendit etiam idem animadvertens confusionem quae habetur inter iura *ordinis moralis* (v. g. in can. 11, 12) et iura stricte canonica seu iuridica, quorum observatio exigere potest (ut v. g. can. 14, 15).

Existimat alius Episcopus declarationem libertatum et iurium christifidelium requiri *magis sollemnem*. Ut opinatur, officia et iura christifidelium enuntiari debent in parte separata, et magis explicitè affirmandum est eadem iura esse *universalia, perpetua*, et talia quibus quis renuntiare non valet, ita ut ab omnibus servari debeant, ab iis qui auctoritate in Ecclesia pollent sicut et a singulis christifidelibus.

Alicui non placet affirmatio vi cuius Auctoritati ecclesiasticae recognoscitur ius inspiciendi in exercitium iurium fundamentalium.

Non paucis videtur deficere *tutela iurium fundamentalium* quae enuntiantur: haec quidem declarantur, sed in LEF non, aut non modo debito, tuitione muniuntur. Scribit aliquis iam multum valere enuntiationem horum principiorum, sed deficere creationem institutorum universaliter vim habentium, quibus eadem principia efficacia reddantur: legislator, ita eiusdem obiectio, debet enuntiare talia principia, sed insimul tenetur ad eadem tuenda. Requiritur, ut declarat aliquis, ut stabiliatur « systema tutelarum processualium », quibus praebetur christifidelibus possibilitas defendendi propria iura erga posibles abusus potestatis, quibusque praestatur iis qui auctoritatem exercent libertas ab omni s. d. pressione quae quidem a certis coetibus exercetur.

7. *Normae LEF nimis restricte proponuntur*, secundum non paucos, cum saepius enuntientur determinandae per canones Codicis. Haud raro enim per additam clausulam « ad normam sacrorum canonum » enervatur norma proposita, cuius applicatio dependere affirmatur a canonibus Codicis. Inde aliqui aestimant in LEF ipsa principia esse enuntianda, ipsas normas modo magis absoluto esse tradendas, sine restrictionibus, quae quidem legibus ordinariis definiri possunt. Contrariam vero sententiam habere videtur alius, praeoptans ut loco « ad normam sacrorum canonum » dicatur « ad normam iuris », quae expressio latior est. Qui vero formam « ad normam sacrorum canonum » non placere affirmant, aestimant hac formula iura quae per se agnoscuntur, nimis restringi, immo vel negari.

8. Quae *de Summo Pontifice* in schemate habentur a nonnullis, certis saltem sub respectibus, reprehenduntur. Aestimat aliquis praerogativas quae Romano Pontifice documentis Concilii recognoscuntur, in schemate augeri. Animadvertit insuper idem obiiciens nimis apparere Summum Pontificem uti in se habentem omnem potestatem (cann. 77-79), non autem apparere eius munus ut servitium populo Dei. Tandem, de eiusdem sententia, in schemate non affirmantur nisi iura Summi Pontificis, non autem eius officia, atque non apparet in schemate Romanus Pontifex uti semper colligatus Collegio episcopali. Praeterea, animadversio quae non raro occurrit est haec sequens: nimia habetur praeoccupatio iterum et iterum affirmandi praerogativas Summi Pontificis (v. g. cann. 32, 47). Haec nimia sollicitudo videtur innuere aliquam diffidentiam erga Corpus Episcoporum. Alii nonnulli affirmant sibi non placere illam visibilem sollicitudinem qua, statim post mentionem factam de Summi Pontificis dignitate vel potestate, praecipitato zelo revocatur dignitas vel potestas Episcoporum. Concludit aliquis eorum

hisce verbis: « Quando ergo sermo est de Pontifice, loquamur de Pontifice, quando de Episcopis, loquamur de Episcopis ».

9. *De Episcopis* in Ecclesia, secundum aliquos, non debite vel non satis quaedam quaestiones tractantur, dum, contra, de aliorum sententia, nimis de iisdem in schemate proposito mentio fit.

De sententia cuiusdam Episcoporum Conferentiae, non fit mentio *de relatione directa inter Summum Pontificem et Episcopos*. Ad mentem alius, non affirmatur modo debito Episcoporum auctoritas in Ecclesia. Aestimat restrictiones eorundem potestati sicut et reservationes aliquarum causarum Summo Pontifici, esse in damnum Ecclesiae. Episcopi, secundum eundem, latiore habent potestatem, quae ipsis iure divino concessa est. Primatus Summi Pontificis affirmari valet sine centralisatione, et ad Primatum affirmandum non requiruntur restrictiones et derogationes potestati episcopali. Episcoporum potestas — quae eadem est ac Apostolorum potestas — ad pristinam integritatem reduci debet. Itaque, iuxta eundem, clausula « firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Suprema Ecclesiae Auctoritas habet sibi vel alii causas reservandi » deleri debet. Est tandem qui rogat ut verbum clarum et definitivum dicatur de validitate consecrationis episcopalis.

Altera ex parte non desunt qui censent de Hierarchia nimis quaestionem esse in schemate proposito, Episcopatum esse quasi centrum maioris partis schematis et reducenda esse ea quae de Episcopis sunt praescripta.

10. *Instituta quaedam* iure canonico constituta, uti sunt *Synodus Episcoporum, Collegium Cardinalium, Consilium presbyterale, Consilium pastorale*, utrum in LEF locum suum habere debeant necne, non conveniunt Episcopi qui de iisdem animadversiones proponunt.

a) De aliquorum sententia, *instituta iure canonico introducta*, nisi antiqua iam traditione forsan inducta, instituta scilicet ecclesiastica quae sunt contingentia seu modi regiminis contingentes, non sunt tractanda in LEF. Aliqua Episcoporum Conferentia in voto transmissio haec declarat: Si Legi fundamentali reservantur ea quae sunt iuris divini et traditionis ecclesiasticae antiquae, certa instituta locum suum habere non deberent in eadem, ut sunt v. g. Collegium Cardinalium, Synodus Episcoporum, in forma sua actuali. Sed aliqui Episcopi eiusdem Episcoporum Conferentiae rogant ut Synodus Episcoporum potestate deliberativa instruat.

E contra, ad mentem aliorum quorundam, proprius locus in LEF tribuendus est *structuris novis* seu institutis a Concilio Vaticano II creatis, uti sunt Synodus Episcoporum, Consilia presbyterale et pastorale. Rogant aliqui ut haec instituta definiantur, ut scilicet eorum status iuridicus in Ecclesia determinetur.

b) De *Synodo Episcoporum* in specie aliquae proponuntur animadversiones, item inter se contrariae.

Est aliquis Episcopus qui impugnat institutionem Synodi, uti constituta est. Arguit Synodum Episcoporum minime repraesentare Episcopos, Episcoporum Collegium. Et explicans scribit: sic dicti Episcopi ab Episcoporum Conferentiis delegati non cognoscunt opinionem aliorum Episcoporum, et in Synodo propriam defendunt opinionem. Proponit igitur ut de quaestionibus magni momenti non Synodus Episcoporum audiatur, sed omnes Ecclesiae universae Episcopi consulantur.

Aliqui, pauci quidem, existimant de Synodo Episcoporum, utpote instituto indolis contingentis, mentionem non esse faciendam in LEF.

Alii, contra, aestimant in schemate non sufficienter momentum Synodi Episcoporum affirmari. Immo, aliqui Episcopi exoptant ut Synodo Episcoporum in ipsa LEF recognoscatur potestas deliberativa, non tantum consultiva. Ad hanc propositionem, quae Episcoporum Conferentiae submissa fuit, responderunt « Placet » 24 Episcopi, « Non placet », 14, dum alii 13 responsum dederunt « Placet iuxta modum ». Et in relatione haec quae sequitur explanatio traditur: haec propositio, si acceptetur, mutaret Synodi naturam, qualis in schemate LEF habetur; Synodus, non amplius esset institutum consultivum Summi Pontificis, sed esset interpres Collegii Episcoporum, auctoritate gaudens simili ei qua pollet Concilium Oecumenicum.

c) In specie de *Collegio Cardinalium* non esse tractandum in LEF aliqui censent, dum alii id reprehendunt quod de eodem sermo fit (can. 36, § 1), antequam agitur de Synodo Episcoporum (can. 36, § 2).

Mentionem Collegii Cardinalium omnino esse delendam existimant aliqui. Scribit aliquis Cardinales, utpote institutum mutabile et historicum, non posse locum habere in LEF. Immo est qui declarat absurdum esse quod Collegium Cardinalium Senatus Romani Pontificis vocetur: hoc Collegium iam ab annis non amplius est nec dici potest Senatus Romani Pontificis; haec appellatio in LEF, qua Cardinalium Collegium eiusdem momenti esse dicitur ac Synodus Episcoporum, ingenuitatem sapit. Eiusdem sententiae videtur quaedam Episcoporum Conferentia, secundum quam incongruens est quod in Lege fundamentali

Ecclesiae universae locus datur Collegio Cardinalium, instituto mere latino; e contra, maius momentum tribuendum est Synodo Episcoporum, de qua affirmatio schematis, iuxta quam « auxilio est » Summo Pontifici, insufficiens dici debet.

Tandem sunt aliqui qui id incongruens aestimant quod Collegium Cardinalium nominetur ante Synodum Episcoporum et ante Episcopos, in can. 36 schematis.

11. *De munere presbyterorum, necnon diaconorum* fusius et rectius agendum est, secundum aliquorum observationem.

De nonnullorum sententia, non satis agitur in schemate *de presbyteris*, de eorundem nempe participatione activa in actione Ecclesiae. Animadvertit eorum aliquis, incongruum esse quod habentur 12 canones de Episcopis, dum unus solus de presbyteris, qui praeterea unitur praescriptis quae diaconos respiciunt; saltem, ita idem obiiciens, ex uno canone 49 tres canones redigendi essent, et separandus esset titulus de presbyteris a titulo de diaconis. Observat alius determinandam esse responsabilitatem presbyterorum in evangelizatione et sanctificatione christifidelium. Non sufficit, uti scribit, ut presbyteri vocentur cooperatores, quia veri responsables dici debent sanctificationis fidelium propriae paroeciae, immo et totius Ecclesiae particularis in unione cum Episcopo. Et in eodem sensu scribit alius, rogans ut munera propria presbyterorum in Ecclesia pressius determinentur. Animadversionem similem proponit quaedam Episcoporum Conferentia: mentio fieri debet de sacerdotibus, uti responsabilibus communitatum christianarum. Fusius de hoc argumento tractat alia Episcoporum Conferentia. Notat in schemate sermonem esse communiter de presbyteris, cooperatores Ordinis episcopalis. Certum quidem est, ita eadem Conferentia, presbyterum munus suum explere ita ut sit cooperans cum Episcopo et eidem subordinatus. Hoc autem non est quod presbyterum determinat et quod fundamentum est eius ministerii. Hoc enim revera est eius ordinatio, qua particeps fit sacerdotii Christi et quo habilis fit agendi in persona Christi, observans quidem relationem hierarchicam in exercenda sua potestate. Talis est doctrina Const. « Lumen gentium », n. 28.

Etiam *de diaconis*, secundum nonnullos, sermo faciendus est verbis distinctis quae congruunt cum doctrina Const. « Lumen gentium ».

12. *De religiosis* quaedam ampliora in LEF dicenda esse animadvertunt nonnulli. Ad eorum mentem, necesse est ut textus explicite loquatur de vinculis iis, quae religiosos in suo particulari statu ecclesiastico constituunt (cf. Const. « Lumen gentium », n. 44: « per vota

aut alia sacra ligamina, votis propria sua ratione assimilata ... »); indicandus est praeterea character publicus — nempe regulatus iure canonico — qui semper sequitur ex assumptione talium vinculorum et consequenti professione trium consiliorum evangelicorum ...

13. Fusius *de parte quam in Ecclesia habent laici* agendum est in LEF, secundum observationem ab aliquibus factam. Uti supra iam refertur, non desunt qui animadvertunt nimis in schemate quaestionem esse de Hierarchia, non autem satis de christifidelibus laicis (cf. p. 20). Scribit eorum aliquis charismata populi, de quibus in Const. « Lumen gentium », n. 12, atque partem laicorum in Ecclesia quasi praetermitti in schemate. Alii in genere tantum declarant partem quam in Ecclesia habent laici non esse modo debito affirmatam in schemate.

14. *Utrum christiani non-catholici legibus canonicis teneantur necne*, in LEF determinandum esse aliqui affirmant.

Est qui schema propositum impugnat eo quod s. d. fratres separati considerantur in schemate uti pertinentes ad populum Dei. Christus, ita scribit, unam Ecclesiam instituit, sub auctoritate Petri et aliorum Apostolorum; communitates quae illud non admittunt, sunt contrariae verae Ecclesiae, auctoritati quae a Christo instituta est.

Nonnulli autem declarant quaestionem utrum non-catholici christiani obligentur legibus canonicis, esse dirimendam in LEF. Diversae autem sunt eorundem opiniones.

De unius sententia, affirmandum est in LEF leges canonicas directe applicari tantum iis qui plene sunt membra Ecclesiae, triplici scilicet vinculo fidei, sacramentorum et communionis cum auctoritate cum eadem colligati. Hac affirmatione, ita arguit, fovetur oecumenismus et magis salvatur *mysterium Ecclesiae*. Et addit: distinctius determinari debet qualitas membri populi Dei eorum qui triplici illo vinculo non sunt cum Ecclesia catholica colligati, atque suggerit ut dicatur: « ... in quadam cum Ecclesia catholica communionem constituuntur, etsi non plena, sed, cum Ecclesia mysterium sit, ulterius elucidanda ». Alius est qui similiter proponit ut in LEF definiatur quinam legibus ecclesiasticis teneantur, quin haec determinatio remittatur ad futurum Codicem vel ad Codices pro Ecclesia Latina et pro Ecclesiis Orientalibus. Ipse, aestimans non sufficere formulam can. 12 Codicis I. C., proponit ut statuatur christianos non-catholicos eximi ab obligatione illarum legum « propter tacitam aliquam concessionem », et asserit hanc iam fuisse doctrinam quam canonistae proponere solebant.

De sententia quam proponit aliqua Episcoporum Conferentia, christiani non-catholici non sunt per se excludendi a lege fundamentali quae quidem fundamentaliter pro iis valet, sed legum ecclesiasticarum vis obligans erga eos non urgenda est. Proponit duplicem formulam, scilicet aut hanc « eximuntur ab observatione legum ecclesiasticarum » illi qui non sunt in « plena communione » et qui non sunt « sub regimine »; aut illam « vis obligandi legum ecclesiasticarum erga eosdem non urgetur ».

Generalem tantum animadversionem hac de quaestione proponit alius quidam Episcopus: canones 6 et 7 schematis, quibus determinatur pertinentia ad Ecclesiam catholicam sunt omnino incerti; varii habentur modi pertinentiae, qui definiuntur sermone in quo miscentur enuntiationes theologicae et praescripta iuridica. Quenam conclusio, scribit, ordinis iuridici deducenda est ex illa « communione non plena » christianorum ab Ecclesia catholica seiunctorum? Quaestio dirimenda est.

## VI. DE STILO LITTERARIO SEU ORATIONIS FORMA LEF

1. *Textus Sacrae Scripturae* saepius esse citandos in textu LEF aliqui Episcopi contendunt, dum alii, numero plures, censent eos non esse allegandos. De alicuius Episcopi opinione, citatio S. Scripturae, et quidem consequens et accurata, requiritur, quia hoc modo Legi fundamentali, etiam coram catholicis summa tribueretur auctoritas, et certitudo haberetur « perspicue et efficaciter demonstrando doctrinam catholicam et legislationem in omnibus fundari S. Scriptura ». Immo alicui Episcopo documentum schematis non placet, quia non est biblicum, et quia, uti scribit, « submittere videtur Bibliam legislationi ». Ad hanc opinionem accedunt tum qui id reprehendit quod absens est in schemate sermo biblicus, ita ut genuina imago Ecclesiae dari non valeat, necnon alius qui scribit sibi magis placere sermonem biblicum et conciliarem.

E contra, omnes qui observant sermonem LEF requiri iuridicum et non theologicum, sententiae adhaerent iuxta quam textus biblici non sunt citandi in LEF. Expresse id affirmant aliqui. Ita aliquis scribit locos Sacrae Scripturae e textu schematis esse expugnandos; alius declarat: « Ipsa lex fundamentalis ut vera lex iuridica proponenda et accipienda est, et hoc omnibus perspicuum esse debet; hoc ergo tum ex indole tum ex forma patere debet. *Devitentur* (quoad formam) exempli gratia *locutiones paraeneticas, vel etiam biblicas* ».



2. *Textus e documentis Concilii Vaticani II desumpti* utrum servari debeant necne, item non conveniunt qui animadversiones hac de re proponunt.

Aliqui, pauci quidem, videntur optare ut saepius illi textus assumentur. Est qui reprehendit schema, quia est praecipue iuridicus, et citationes e documentis Concilii tantummodo inserviunt ad affirmationes iuridicas confirmandas vel illustrandas.

Alii vero, et quidem numero plures, opinantur textus conciliares non esse allegandos in LEF aut saltem eos esse minuendos. Animadvertit aliquis: « Verba decretorum Concilii Vaticani II repugnant naturae Codicis iuris, quia Patres conciliares noluerunt loqui lingua iuridica, sed potius lingua biblico-patristica et pastoralis ». Secundum alium animadvertentem, textus conciliares non ad litteram, sed tantummodo quoad sensum, atque nervoso concisoque sermone, transcribendi sunt. Alii observant textus conciliares nimis frequenter allegari, et censent textum schematis nimis pendere a textibus Concilii Vaticani II, uti supra iam dictum est (p. 20). Observat aliqua Episcoporum Conferentia haec quae sequuntur: « Non placet stilus oratorius ac nimis diffusus canonum. Citationes, quibus abundat tum Concilii Vaticani II tum S. Scripturae, repetitiones eiusdem rei sub diversis aspectibus (ex. sit can. 1: « quod humanum ad divinum ... quod visibile ad invisibile, quod actionis ad contemplationem etc. ») optime quidem essent in doctrinali explanatione vel in Oratione, *non vero in Lege*. Canones breves sint oportet ac stili sobrietate emineant ».

3. *Stilus litterarius* utrum *iuridicus* an *theologicus et pastoralis* sit oporteat, dissentiunt Episcopi, qui hac de quaestione animadversiones proponunt. Longe tamen plerique eorum expostulant ut stilus sit proprie iuridicus, conveniens scilicet legibus.

Sunt quidem aliqui qui aestimant stilum requiri *magis theologicum et pastorem*. Huius sententiae dici possunt qui censent modum dicendi magis biblicum praeoptari. Expresse talem stilum magis convenire scribit aliquis obiiciens. Rationem allegat imprimis, quia hic non agitur de lege in sensu communi. Praeterea, arguit, cum finis Legis fundamentalis sit ut melius definiri valeat quomodo Ecclesia et omnia eiusdem membra possint ac debeant missionem adimplere ipsis concreditam, oportet ut sermo fiat minus de « iuribus », sed ut adhibeatur sermo concretus et pastoralis Concilii. In eadem sententia sunt qui declarant praefendum esse vocabularium magis biblicum et conciliare, aut se praeoptare stilum minus iuridicum. Eiusdem opi-

nionis videtur quoque quaedam Episcoporum Conferentia, haec quae sequuntur exponens: Lex fundamentalis intendit descriptionem praebere « dimensionis socialis » populi Dei, secundum technicam specificam. Haec quidem technica canonica, a prioribus Ecclesiae saeculis existens, antiquitus normas adhibuit e principiis iuris romani et philosophiae socialis depromptas. Hodie autem, Concilium Vaticanum II magna parte substituit illis fontibus hodiernam ecclesiologiam, innixam Evangelio atque sustentatam exegesi biblica. Ita ius Ecclesiae maiorem affinitatem obtinet cum theologia, quam cum iure civili. Sunt tandem aliqui qui alios proponunt terminos adhibendos loco vocabulorum quae in schemate habentur. Ita, affirmans requiri vocabularium magis biblicum et conciliare, proponit aliquis, ut adhibeantur verba « fides » loco « veritas », « onus » loco « officium », « servitium » loco « munus et potestas ». Alius est qui reiicit usum verborum: hierarchia, auctoritas, regere, gubernare, potestas, obligationes, iura, disciplina; talia verba aestimat Evangelio non congrua, et proponit ut adhibeantur v. g. verba: invitatio, exhortatio, servitium, iter, etc.

Ast, longe plerique Episcopi, observationem proponentes de stilo adhibendo, affirmant stilum litterarium Legis fundamentalis requiri *iuridicum, proprium scilicet disciplinae legali* seu legibus. Uti iam dictum est, aestimat quaedam Episcoporum Conferentia quod LEF vitare debet, — quin eadem obliviscatur, — elementa non-iuridica. Idem sentiunt Episcopi qui affirmant in LEF non esse inserenda elementa theologica, quae quidem ad ambitum prae-iuridicum pertinent. Expresse animadvertunt modum dicendi requiri iuridicum aliae quaedam Episcoporum Conferentiae sicut et Episcopi non pauci. Uti supra notatum est, adnotat aliqua Episcoporum Conferentia legem esse factum iuridicum et Legem fundamentalem requiri ut « fundamentum iuridicum », non vero ut « fundamentum theologicum ». Et aliquis Episcopus autumat: in describendo canone fundamentali legum ecclesiasticarum, discursus nequit non esse iuridicus.

Animadvertunt quidem aliqui canones inniti debere theologicis veritatibus, sed ipsos canones requiri iuridicos. Scribit aliquis, schema propositum approbans: « Tria Capita quibus constat (schema) indolem habent theologiam, principiis plene ad mentem Vaticani II expositis, et insuper habent in suo complexu *formam vere iuridicam*, fundamentalem, qua enunciantur et servantur ea quae legitime sunt stabilita, iure divino vel institutione ecclesiastica ». Quae multorum votis videntur congrua.

## VII. DE STRUCTURA INTERNA ET DIVISIONE LEF

### I. *Ad Prooemium* schematis quod attinet.

Paucae habentur animadversiones generales de Prooemio proposito in schemate. Affirmat aliquis Episcopus magis in eodem sermonem esse faciendum de « mysterio » Ecclesiae; secundum eundem, de personis divinis et de SS. Trinitate in uno hoc loco agendum est, non vero in singulis Capitibus. Item, de eiusdem sententia, requiritur ut Prooemium *indiget quid Lex fundamentalis contineat*, scilicet elementa iuris divini atque iuris ecclesiastici elementa, quae decursu saeculorum emergerunt in vita Ecclesiae et hodie habenda sunt uti essentialia.

Ad mentem alius observantis, rationes in Prooemio indicandae sunt ob quas Lex fundamentalis datur et promulgatur, eaeque rationes declarandae sunt secundum spiritum novi Codicis. Definitio legis in eodem etiam tradenda est, secundum eundem.

De sententia alius animadvertentis, « circa Prooemium considerandum est hodiernis temporibus multis repugnare Ecclesiam iuridicam et placere Ecclesiam caritatis pneumatisque ». Exinde deducit alium textum esse proponendum in Prooemio, in quo lex proponitur uti emanans e caritate: Caritate scilicet Ecclesia est unum corpus, quod unam voluntatem habet unumque cor... Ut communitas voluntatum in caritate oriatur, Christus his in terris Ecclesiam constituit hierarchicis organis instructam, eique concedit potestatem docendi, sanctificandi et regendi christifidelium actiones ad consequendam salutem fidei, quae per caritatem operatur ... etc.

De iudicio tandem alius Episcopi, « Prooemium amplius exprimere debet principium interius quod ducit Ecclesiam in suo exsistere et operari ». Et remittit ad orationem quam Pp. Paulus VI habuit occasione Congressus Internat. Iuristarum a. 1970. Hoc principium, scribit, « informare debet quamcumque legem sive in phasi creativa sive in phasi executiva et explicativa (Cf. Const. « Lumen gentium », n. 4 et 5) ». Prosequitur: « Suprema lex constitutionalis Regni Christi est caritas. Ad eam dedicare oportet integrum et amplum numerum. Omnes aliae leges exhibeantur ut servitium caritatis et ordinentur ad hanc legem adimplendam. Leges Ecclesiae repraesentant minimam partem dynamismi caritatis, seu potius limites quorum transgressio educit extra ambitum caritatis. Intra talem ambitum, competit christiano amplissima libertas actionis ». Addit demum: « Optatur ut criterium enun-

tium in can. 20, § 2, circa aequitatem servandam a iudice ecclesiastico, enuntietur generali modo in Prooemio. Aequitas canonica et epicheia in Occidente, oikonomia in Oriente, sunt conceptus qui explicant peculiari modo spiritum caritatis quo leges et ferendae et applicandae sunt sive a iudice sive a gubernatore, et in praxim deducendae ».

*Praecipua* quoad Prooemium animadversio est generalis illa, de qua supra agitur (p. 9), secundum quam ad modum Prooemii requiritur *praefatio doctrinalis*, introductio scilicet theologica, complectens praesupposita dogmatica de Ecclesiae natura et de fundamento theologico iuris in Ecclesia, de iustificatione in specie ipsius legis fundamentalis. Haec praefatio comprehenderet expositionem doctrinae in Ecclesia receptae, praesertim vero innixam documentis conciliaribus.

## II. *Ad divisionem necnon ordinem capitulorum quod spectat.*

Non desunt qui divisionem in tria Capita expresse approbant, aut declarant se quoad eandem nullam opponere obiectionem. Plerique vero Episcopi, qui animadversiones miserunt, nullam proponunt observationem de ordine systematico schematis; qui igitur eisdem placere dicendus est.

Ab aliquibus autem alius ordo Capitulorum aliave divisio proponitur.

Praecipua animadversio hac de re, quam proponit quaedam Episcoporum Conferentia, ea est secundum quam magis placeret divisio in quinque Capita quae sequitur:

a) Caput 1. De Ecclesia, ut communione et societate, in suis aspectibus fundamentalibus, ordinationibus scilicet universali et particularibus;

b) Caput 2. De personis in Ecclesia: de officiis nempe et iuribus fundamentalibus membrorum populi Dei, ratione ipsius baptismatis;

c) Caput 3. De ministeriis existentibus in Ecclesia, in servitium populi Dei, in specie de ministerio hierarchico;

d) Caput 4. De « extensione » Ecclesiae, i. e. de Ecclesiis recentioris constitutionis seu formationis aut constituendis (dimensio missionaria);

e) Caput 5. De praesentia Ecclesiae eiusque actione deque actione christianorum in mundi vita.

Alius proponitur Capitum ordo ab alia Episcoporum Conferentia,

scilicet: Cap. 1. De populo Dei; Cap. 2. De missione Ecclesiae in mundo; Cap. 3. De Ecclesiae muneribus. Aestimat haec Conferentia prius de Ecclesia, dein de missione Ecclesiae in mundo esse sermonem faciendum, et postea tantum de mediis adhibendis in ordine ad persequendos fines Ecclesiae generales.

Tandem propositio quam facit aliquis Episcopus respicit materiam tractatam in cap. I et Cap. II, quae, de eiusdem sententia, alio modo distribui debet. Ad eius mentem, Art. 2 primi Capituli, scilicet « De Hierarchia in Ecclesia » ad Caput II remittendus est, ut ibi in Art. 4, aut in Capite novo, post Cap. II, tractetur. De auctoritate in Ecclesia, ita arguit, agendum est postquam de diversis Ecclesiae muneribus tractatum est.

### III. *Ad Caput I* quod attinet.

Ad hoc Caput aliquae habentur generales animadversiones, quae praesertim eiusdem Capituli Art. 2 respiciunt.

*Alia distributio Capituli I* proponitur ab uno Episcopo, videlicet haec quae sequitur: Art. 1: cann. 1-2; Art. 2: huius titulus esset « De hominis habitudine ad Ecclesiam »; complecteretur cann. 3-9; Art. 3: cann. 10-25; Art. 4: cann. 26-30; Art. 5: diversis sectionibus esset distribuendus, quae correspondent variis materiis de quibus in cann. 31-50.

*Ad Art. 2 huius Capituli I*, diversus ordo dicendorum ab aliquibus proponitur.

1. De sententia alicuius Episcoporum Conferentiae, Art. 2 modo sequenti dividendus est: § 1. De regimine (directione) *Ecclesiae universae*: 1. De Summo Pontifice. 2. De Collegio Episcoporum; § 2. De regimine (directione) *Ecclesiarum particularium*. Eundem ordinem proponere videtur aliquis Episcopus, arguens non esse separandos canones qui agunt de Summo Pontifice a canonibus qui tractant de Collegio Episcoporum. Et ipse proponit ut divisio sit: § 1. De auctoritate suprema; § 2. De Auctoritatibus in Ecclesiis particularibus.

2. De opinione alius animadvertentis, tres §§ ponendae sunt in Art. 2, scilicet: § 1. De Romano Pontifice deque ceteris Episcopis (cann. 34-38); § 2. De Collegio Episcoporum (cann. 39-46); § 3. De Episcopis singulis (cann. 47-48).

3. Ad mentem alicuius Episcoporum Conferentiae, divisione Art. 2 uti est in schemate, ponitur Summus Pontifex extra Collegium Episcoporum, quod contrarium est ecclesiologiae et spiritui oecumenico Con-

cilii Vaticani II. Divisio proponitur quae sequitur: § 1. Christus, Caput Ecclesiae; § 2. Collegium Apostolorum, sub directione Petri; § 3. Collegium Episcoporum, uti succedens Collegio Apostolorum; § 4. Romanus Pontifex, ut Caput Collegii Episcoporum et Caput visibile Ecclesiae universae; § 5. Singuli Episcopi, uti membra Collegii Episcoporum et Capita Ecclesiarum particularium.

4. Tandem, de sententia unius Episcopi, Art. 2, § 2 complecti deberet tres partes, congruentes cum divisione Decr. « Christus Dominus », scilicet: 1. De Collegio Episcoporum; 2. De Episcopis singulis; 3. De Episcopis in commune plurium Ecclesiarum particularium bonum cooperantibus.

*De titulo* seu inscriptione huius Capitis I etiam animadvertunt aliqui, sufficere inscriptionem « De Ecclesia », delendaque esse verba « seu de Populo Dei ».

Aliae ad Cap. I habentur animadversiones, sed aut sunt generales ad totum schema — et de iis iam tractatum est — aut sunt particulares ad singulos canones aut ad partem aliquam canonum.

Sunt tandem denique etiam qui Caput I expresse approbant, declarantes immo hoc Caput esse pulcherrimum, et quasi perfectum in praesentatione.

#### IV. *Ad Caput II* quod spectat.

Generales habentur aliquae animadversiones, quarum praecipuae respiciunt, ut videtur, tria munera quibus Ecclesia gaudet, quaeque adimplere debet.

1. *De tribus muneribus Ecclesiae* agitur in hoc Cap. II. Imprimis quidem de munere seu de missione in genere Ecclesiae tractatur, ut deinde magis in specie tria munera determinentur eorumque exercitium definiatur.

Notetur autem imprimis *plerosque* nullam de hac divisione facere animadversionem, immo nonnullos eandem aperte admittere.

Animadversiones aliquae proponuntur, et quidem hae quae sequuntur:

a) Secundum aliquam Episcoporum Conferentiam, dubium moveri potest de usu doctrinae trium munerum in ordinatione Legis fundamentalis. Haec divisio, — ita arguitur — quae non est completa nec adaequata, ducit ad multas repetitiones atque velat unitatem munerum sanctificandi et docendi. Etiam alia Episcoporum Conferentia

videtur esse huius sententiae: tentamen in Cap. 2, ut, secundum Const. « Lumen gentium » de Ecclesia et Decr. « Christus Dominus », de Episcoporum munere pastoralis in Ecclesia, divisio tripartita munerum ut fundamentum Systematis accipiatur, non satisfacit; unitas potestatis in Ecclesia non sinit ut talis divisio ita sit stringens. Etiam alia Conferentia animadvertit distinctionem in tria munera in ipsa LEF ad repetitiones ducere inutiles. De sententia tandem unius Episcopi, distinctio haec, uti in schemate habetur, conducere potest ad ideam quod munus regiminis sit distinctum ab aliis duobus muneribus: est, e contra, modus iuridicus, — ita inquit — quo Ecclesia adimplet munera magisterii et sanctificationis. Idem saltem clare affirmandum est, scilicet quod munus regiminis exercetur ad bonum supernaturale fidelium.

b) Aliam animadversionem, fundamentalem, proponunt duo Episcopi, iisdem fere verbis utentes. Secundum hanc animadversionem sermo fieri non potest de *ipsius Ecclesiae* muneribus docendi, sanctificandi et regendi, sed de *Hierarchiae* muneribus docendi, sanctificandi et regendi. In documentis conciliaribus affirmatur *Apostolis eorumque successoribus* collata esse *munera docendi, sanctificandi et regendi*. Ipsa quidem Const. « Lumen gentium », n. 21 declarat: « Episcopalis autem consecratio, cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi ac regendi »; et similiter alia documenta. *De universo populo christiano*, e contra, semper affirmatur quod ipsi a Deo concredita sunt *munera sacerdotale, propheticum et regale* (cf. Const. « Lumen gentium », n. 31, 34, 35). *Laici* dicuntur « muneris sacerdotalis, prophetici et regalis Christi participes effecti » (Decr. « Apostolicam actuositatem », n. 10; Const. « Lumen gentium », n. 31). Hisce attentis, proponunt observantes ut in *Capite II* teneantur haec quae sequuntur: a) munus docendi, sanctificandi ac regendi pertinent solummodo ad Episcopos, et ad cooperatores Ordinis episcopalis, presbyteros; b) omnes christifideles, vi baptismatis recepti, participant Christi munus propheticum, sacerdotale et regale. Titulus igitur « De Ecclesiae muneribus », ubi agitur de munere docendi, sanctificandi et regendi, graviter unilateralis esset, utpote qui unam Ecclesiae Hierarchiam spectare potest. Itaque iidem proponunt una ex parte ut titulus Capitis servetur uti est, scilicet « De Ecclesiae muneribus », sed alia ex parte ut modo sequenti dividantur praescripta in eodem enuntiata. *Canon primus* enuntiet ideas generales ut sequitur: § 1. ratione participationis in sacerdotio ministeriali Christi Capitis, Episcopi et Presbyteri participant munus docendi, sanctificandi ac regendi; § 2. Universus populus Dei, ratione

baptismatis, participat Christi munus propheticum, sacerdotale et regale. Caput autem dein non dividatur in Articulos, sed unus canon simpliciter post alium tradatur, sine ulla subdivisione. Sic praeterea vitantur difficultates, quia impossibile est definire ad quodnam munus pertineat unaquaeque functio vel actio ... Ita etiam vitari potest obiectio adversus existentiam et ordinem systematicum Legis fundamentalis.

E contra, alius est qui tanquam obiectionem praecipuam contra Caput II, opponit quod munera docendi, sanctificandi et regendi a Christo instituta et *Ecclesiae* tradita proponuntur in textu schematis uti quasi exclusive pertinentia ad Hierarchiam.

2. *Alia animadversio* ad hoc Caput II respicit munera presbyterorum; de hac animadversione iam tractatum est docendi, sanctificandi et regendi, de quibus affirmandum est eos eadem exercere nomine Christi.

3. De sententia alicuius, nimis praedominans in hoc Capite II est idea auctoritatis in Ecclesia, non autem satis affirmatur idea ministerii ecclesialis, ut servitii.

4. Secundum animadversionem propositam ab alio, schema in hoc Capite eo peccat, quod non facit mentionem de officio quo omnes tenentur adorandi creatorem; proponit inde ut canon addatur, in quo hoc officium enuntiatur.

#### V. *Ad Caput III* quod attinet.

Ad hoc Caput animadversiones aliquae habentur, quae vero valde sunt diversae, immo et inter se contrariae.

1. Sunt qui *plene approbant* hoc Caput III, saltem quoad materiam et principia enuntiata. Est tamen qui observat canones modo distinctiore esse componendos et breviores requiri, et proponit ut loco undecim canonum habeantur viginti quinque, qui vero eadem principia complectantur. Est etiam qui declarat hoc Caput, non quidem plene satisfaciens, melius esse elaboratum, scilicet clarius et magis iuridicum esse, et aestimat esse beneficium id quod principia Const. « Gaudium et spes » ita incoporentur in LEF. De alius sententia, hoc Caput adhuc magis evolvi debet, attento quidem spiritu democratico hodiernae societatis, cui placet enuntiatio iurium. Tandem, de sententia alius Episcopi, *requiritur* hoc Caput: « omnino conveniens est ut Ecclesia praeseferat sui ipsius imaginem ad modum chartae constitutivae confectae: ut appareat quid sit et quid exigit eius natura quidve ceterae societates ab illa postulare legitime valeant, quin eius iura violent quinimo corro-



borent ». Aliqua item Episcoporum Conferentia censet principia de relationibus Ecclesiam inter et Societatem civilem, uti exposita sunt, renovationem constituere iuris publici externi et inde progressum dicendam esse expositionem horum principiorum in LEF.

2. Alii, e contra, aestimant *hoc Caput profunda recognitione indigere*, ut principia in eodem exposita plenius congruant cum declarationibus Concilii Vaticani II, in specie *cum spiritu* Const. « Gaudium et spes ». Ad mentem quarundam Episcoporum Conferentiarum, in hoc Capite minus extollitur spiritus servitii et dialogi fraterni quam in dicta Constitutione. Idem sentiunt tum qui affirmat hoc Caput alienum esse a dicta Constitutione, eo quod agit praesertim de relationibus inter Ecclesiam et Societatem civilem, et quod maxima parte canones enuntiant iura quae Ecclesiae competunt et Ecclesia sibi vindicat, non autem obligationes, tum qui id reprehendunt quod Caput III quaestionem de Ecclesia et hominum consortione fere exclusive aut praecipue contemplatur *sub aspectu hierarchico*, cum agat de relationibus inter Hierarchiam Ecclesiae et civilem potestatem, non vero satis de relationibus inter ipsam Ecclesiam et societatem civilem.

Animadvertunt alii non sufficienter quaestionem esse in hoc Capite de relationibus inter Ecclesiam et alias societates, et in specie in eodem tractandum esse etiam de relatione inter Ecclesiam et communitates religiosas, scilicet communitates christianas non-catholicas, immo et non christianas.

Aliquae etiam animadversiones, quae magis particulares vel speciales dicendae sunt, habentur. Secundum quandam Episcoporum Conferentiam, hoc Caput sapit triumphalismum; de iudicio alicuius Episcopi, magis affirmandum est in hoc Capite munus propheticum Ecclesiae; de sententia alius animadvertentis, plenius extolli debet Ecclesiam humanitati progredienti inservire.

Tandem, de iudicio unius Episcopi, titulus huius Capitis potius sit requiritur: « De Ecclesia *relate ad* hominum consortiones », quia multae sunt.

3. Sunt denique qui censent *hoc Caput non requiri in LEF*. Rationes autem quae invocantur sunt variae. Secundum aliquem Episcopum, structura Ecclesiae, his in terris quam habet, seiungenda non est a realitate peregrinandi, i. e. a statu concreto compositionis vitae humanae in hoc mundo, in quo Ecclesia necessario munus suum docendi, sanctificandi et regendi exercet. Proponit igitur ut substantia cann. 84-95, emendationibus peractis, inseratur partim immediate post canonem 2,

§ 4, partim in Capite « De Ecclesiae muneribus ». Dubitant alii num hoc Caput inserendum sit in LEF. Rationes allegantur quia in eodem vindicantur iura indolis politicae, de quibus quaestio poni potest utrum in LEF enuntiari debeant necne, eo vel magis quod Caput praebet aspectum magis negativum muneris seu missionis Ecclesiae in mundo, et quia in hoc Capite attenduntur solae relationes externae Ecclesiae, non vero internae, quae quidem solae in LEF attendi et circumscribi debent; praeterea alicui non placent differentiae quae habentur inter libertates quae requiruntur pro Ecclesia catholica et libertates quae vindicantur pro aliis communitatibus ecclesialibus.

#### VIII. DE METHODO ADHIBENDA IN ULTERIUS ELABORANDA LEF

A nonnullis proponuntur observationes quae respiciunt ipsam methodum sequendam in ulterius praeparando et emendando schemate Legis fundamentalis, immo a quibusdam vota expromuntur de approbatione et promulgatione ipsius Legis fundamentalis.

1. *De methodo* in ulterius elaborando schemate LEF adhibenda quaedam proponuntur animadversiones, quarum praecipuae haec sunt quae sequuntur.

Est qui ponit quaestionem utrum revera Episcopi iudicare valeant de opportunitate atque tenore LEF, quin certiores facti sint de motivis pro et contra LEF, de opinionibus propositis. Requiritur, scribit, ut re perspecta et cognita, iudicare valeant. Quod si, de eorum iudicio, LEF condenda sit, schema praeparandum est a consultoribus ab Episcoporum Conferentiis et Unione Superiorum maiorum designatis. Quod schema dein collegialiter imprimis disceptari debet a Commissione C. I. C., a Commissione internationali Theologorum necnon ab aliquibus officialibus Dicasteriorum romanorum, ut deinde collegiali etiam examini subiiciatur Synodorum patriarchalium, Episcoporum Conferentiarum et Unionis Superiorum maiorum Ordinum et Congregationum religiosarum.

Non desunt qui animadvertunt coetum specialem seu commissionem specialem cui committitur praeparatio schematis constare debere canonistis, theologis, peritis in S. Scriptura, peritis in Historia ecclesiastica, aut eam constare debere praesertim quidem canonistis, sed consulendos esse theologos atque peritos in pastoralis.

De sententia alicuius Episcoporum Conferentiae, requiritur ut coetus peritorum constet peritis quidem, viris et mulieribus, ita ut universa Ecclesia in eodem representetur, Ecclesiae scilicet Latinae et

Orientalibus, utque periti habeantur ex diversis scholis iuridicis et theologis. Rogat item aliquis Episcopus, ut periti nominentur Ecclesiarum diversorum Rituum, et quidem non necessario Episcopi, sed personae quae vitam ducunt in communitatibus ecclesialibus sui Ritus.

De opinione duarum Episcoporum Conferentiarum, fundamenta dogmatica quae in LEF habentur discutienda sunt a Commissione internationali theologorum, et quidem collegialiter. Alia ex parte, rogat aliquis Episcopus, ut consulantur scholae et universitates catholicae.

Propositionem etiam facit aliquis qui exoptat ut in elaboratione LEF duo distinguantur momenta: 1) prior quaedam elaboratio schematis, initialis et provisoria, quae adiumento esse possit ad recognitionem Codicis I. C., praebendo nempe principia attendenda in eiusdem recognitione; 2) altera elaboratio, definitiva, quae colligat omnia fundamentalia principia in novis Codicibus, Latino scilicet et Orientali immo vel aliis, stabilita, haecque explenda tantum post absolutum laborem recognitionis eorum Codicum. Etiam quaedam Episcoporum Conferentia commendat ut definitiva schematis LEF redactio fiat tantum postquam schemata in ordine ad novum Codicem paranda confecta sunt.

Est tandem qui opinatur ultimum redactorem schematis requiri unum, unam nempe personam, non aliquem personarum coetum.

2. *De prolatione et promulgatione* LEF futura quoque quaedam proponuntur vota. Secundum duas Episcoporum Conferentias, non est condenda Lex Ecclesiae fundamentalis nisi audito Synodo Episcoporum. Immo, de sententia alicuius Episcopi, non est promulganda Lex Ecclesiae fundamentalis, nisi antea de eadem disceptatum sit in altero Concilio oecumenico. Ad promulgationem huius legis quod attinet, exoptat ut actu collegiali, a Romano Pontifice una cum Episcopis, promulgatio fiat (Willelmus Onclin, *Relator*).

**TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS**